



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

### **Usage guidelines**

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

### **About Google Book Search**

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>

Gp 95  
2GG.3

[Faint, illegible text on a vertical strip of paper]

Gp 95.266.3




**Harvard College Library**



From the  
**CONSTANTIUS FUND**

Bequeathed by  
**Evangelinus Apostolides Sophocles**  
Tutor and Professor of Greek  
1842-1883

For Greek, Latin, and Arabic  
Literature







DE  
**POLYBII GEOGRAPHIA.**

---

**DISSERTATIO  
INAUGURALIS PHILOLOGICA**

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

**AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS**

IN

**ALMA UNIVERSITATE LITTERARIA**

**FRIDERICA GUILIELMA**

AD

**SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES**

RITE CAPESSENDOS

**DIE XXVI OCTOBRE A. MDCCCLXXV. H. XII.**

IN PUBLICO DEFENDET

SCRIPTOR

**MAXIMIL. CAROLUS PAULLUS SCHMIDT**  
BEROLINENSIS.

ADVERSARIORUM MUNERE FUNGENTUR:

**CAROLUS MICHAELIS, DR. PHIL.**

**CAROLUS ROTHE, CAND. PHIL.**

**G. J. SCHNEIDER, CAND. PHIL.**

---

BEROLINI, MDCCCLXXV.

Gp 95, 266.3



*Constantine Jones*

**PARENTIBUS**

**AMATISSIMIS AMANTISSIMIS.**



the

De Polybii geographia ab alio iam homine disputatum esse me non fugit, cum in manibus mihi sit dissertatio, quam de hac re scriptam Magdeburgius Saxoborussus Halis in lucem edidit. Quae cum plane ab ea ratione discedat, quam in quaestione eiusmodi ingrediendam esse puto, equidem ea quae, iam antequam libellum illum cognovissem, collegeram atque conquisiveram, missa facere nolui, sed eandem rem iterum exponere mihi proposui. Totum vero hunc locum omnino dignum esse, ad quem studia nostra convertamus, pluribus argumentis comprobare omitto. Nam hoc quidem constat, Polybium ipsum multa de geographicis rebus neque tam ea leviter, ut cursim tantum perstringeret, cum proeliorum discrimina vel aliarum rerum historiam narraret, sed perpetua atque accurata oratione explicasse, ab aliis autem in celeberrimis eum Graecorum geographicis enumeratum esse. Accedit quod mea quidem sententia in exquirenda antiquitate non ea solum spectanda sunt, quae maximi momenti apud veteres ipsos fuisse omnes consentiunt, sed ea quoque, quibus secundus vel tertius locus conceditur. Etenim omnia, quae de moribus litteris studiis veterum ad posteritatis memoriam pervenerunt, ne aut oblivione obruantur aut a studiis deserta iaceant, cavendum nobis est. Quare non diutius de utilitate quaerendum; ad rem ipsam statim aggrediamur.

Atque id quidem notum est, cum paucissima ex Polybii scriptis ad nostram memoriam pervenisse, tum parvam tantum partem eius libri aetatem tulisse, quo terrae descriptionem

complexus est. Itaque nostra non interesse puto, omnia conferre, quae de Polybii geographia tradita invenimus, quod cum fecerimus, tamen in hac misera librorum condicione neque omnino veterum neque ipsam Polybii geographiae cognitionem satis perspectam habebimus. Quamobrem propositum mihi est, de iis tantummodo rebus quaerere, quibus demonstratur, quem inter Graecorum geographos locum ille tenuerit, quamque multum de terrae descriptione meritis sit: quibus in rebus imprimis astronomia mensurae itinera fontes oculos in se convertunt. De his igitur agam.

### § 1.

In astronomia totam geographiam quasi in fundamento ponendam esse Polybius non ignoravit. Nam legerat imprimis Eratosthenis libros, cuius studiis caelestia corpora quasi in terram descenderant, cum ut exemplo utar primus ille ex solis motu et gnomonis umbra terrae longitudinem certis stadiorum numeris definivisset. Ac dixit Polybius, eam scientiam, quae in dividendo caelo versaretur, primam esse et summam et omnibus communem, quippe qua certae caeli partes inter se distinguerentur (III, 36, 6); alteram vero eam esse, qua sua cuique caeli regioni terrarum loca attribuere ac nobis certam opinionem de iis quoque locis comparare liceret, quas vel aliorum narrationibus vel nostris ipsorum itineribus cognoscendi adhuc defuisset occasio (III, 36, 7). Sed iam ex his verbis elucet, non multa Polybium ad astronomiam studia convertisse, quam qui bene noverit prorsus aliter definit. Et profecto de parallelis meridianisque circulis, quorum loca intervalla mensuras id temporis multi perscrutari studebant, plane tacuisse videtur. De astris autem iam apud Homerum plus invenire potuit, quam ipsum novisse apparet, cum praeter δώδεκα ζώδια (IX, 15, 8) tantum eorum siderum ortus et occasus commemoraverit, ex quibus tempestatum vices provideri solebant (Ἔργων I, 37, 4. Κύων I, 37, 4. II, 16, 9. Πλειάς III, 54, 1. IV, 37, 2. V, 1 I sqq. IX, 18, 1 sq.). Solis deinde conversionum et aequinoctiorum, quae item iam Homero nota erant, mentionem fecit ille quidem, sed (praeter zonas) tantummodo ad certam diei

annique partem significandam (τροπαί IV, 67, 7. III, 72, 2. V, 51 sq. IX, 15, 2. ἰσημερινά IV, 37, 2. IX, 15, 2) aut ad varia orientis occidentisque loca designanda (χειμερινὰ ἀνατολάι V, 22, 3. χειμ. δύσεις IV, 77, 8. III, 47, 2. XI, 16, 5. III, 37, 5. θερινὴ ἀνατολή XXXIV, 7, 9. ἰσημερινὴ ἀνατ. XXXIV, 7, 10. ἰσημ. δύσεις XXXIV, 7, 9. ἰσημ. καταφορά III, 37, 5). Plura denique de locis et temporibus, quibus singulis diebus et sol et luna caelum percurrit, in libro nono exposuit, quae cum ad cognoscendam Polybii his in rebus rationem aptissima esse arbitrer iam repetere liceat.

Lineam igitur eclipticam in duodecim partes dividi, quarum suo quaeque sidere significata esset (δώδεκα ζώδια: IX, 15, 8) Polybius tradidit. Dierum autem noctiumque longitudes, quas varias esse cotidie animadvertimus, ex solis cursu facillime ab eo perspiciuntur, cui animo comprehensum est, quid sibi velint aequinoctia vel autumnale vel vernum, quid solis conversiones vel aestiva vel hiberna: nam inter haec spatia dies definitis rationibus et mensuris crescunt minuunturque (IX, 15, 2). Praeterea non solum ipsa illa inter se varia dierum spatia quanta sint, ex sole cognosci potest, sed etiam quot cuiusque vel diei vel noctis horae praeterierint, quolibet tempore non difficile est intellectu. Nam diei reliqua pars vel ex umbrae longitudine apparet vel ex eo caeli spatio, quod iam emensus sol aut ad summum itineris verticem appropinquat aut ad finem cotidiana viae descendit (IX, 15, 6). Sed hoc loco Polybius mirum quantum a vero aberravit. Nam cum noctes inter se aequales non essent (ἀνισῶν οὐσῶν τῶν νυκτῶν), sed tamen in unaquaque sex illorum siderum oriri solerent, per se intellegi posse dixit, certa quadam noctis parte praeterita eandem semper zodiaci partem debere in altero caeli latere ortam esse, in altero occidisse (IX, 15, 8). At si noctes, ut ait Polybius, varia sunt longitudine, nequaquam sex zodiaci sidera in unaquaque oriuntur, quorum cum aliud duabus horis post aliud emergatur, imparibus noctibus impares zodiaci partes exoriri necesse est; sin vero sex oriuntur, tum omnes noctes inter se pares efficitur, quippe quarum singularum longitudo duodecim horarum spatium compleat. Quae deinde apud Polybium se-

quantur, per se ferri possunt. Pergit enim, cum primum sol occidat, tum eam zodiaci partem sive id duodecim signorum oriri, quod in orientali caeli regione versetur (IX, 15, 9), et certam temporis et numeri rationem inter praeteritam quavis hora noctis partem et orta zodiaci signa intercedere (IX, 15, 10). Quare qui signorum et multitudinem et magnitudinem noverit, is noctis partem vel praeteritam vel reliquam semper facile emetietur (IX, 15, 11). Ac si noctu nubium caliginem sideribus obductam videbimus, luna observetur necesse est, cuius lux, cum sit maiore spatio quam cetera astra, ne nubibus quidem plane occaecari solet, quare quem caeli locum obtineat plerumque animadverti potest (IX, 15, 12). Sed quae quoque tempore pars noctis alicuius praeterierit et quae sit reliqua, non solum ex caeli regione quacumque luna versatur manifestum est, sed ex eo quoque facile perspicitur, quando tum et ubinam sit orta aut occasura (IX, 15, 13). Quod ad conficiendum omnem illam varietatem, quam in lunae ortu occasuque inesse animadversum est, novisse opus erit (IX, 15, 14). Est autem talis ne lunae quidem observatio difficilis, cum haec post unius fere mensis spatium ad eundem caeli locum redeat, unde primo mensis die profecta est, ita ut omnes menses similem eius aspectum praebeant (IX, 15, 15).

Haec Polybius. Quae omnia sunt nimis breviter explicata, cum quod in tota re summum est plane desideretur. Nam quae tandem ratio inter solis lunaeque motus et dierum noctiumque longitudes intercedat, non dixit, quasi vereretur ne rem arcanam renuntiaret. Adde quod verba illa *ἀνισῶν οὐσῶν τῶν νυκτῶν* hic totam rem confundunt. Nec putandum est, textum corruptum esse, cum facile intellegatur, ipsam hanc universam expositionem ceteroquin tam claram dilucidamque esse, ut is in lubricum decurrere videatur, qui in hac tanta verborum integritate coniectura aliquid mutandum opinetur. Antiqua vero quae appellantur excerpta, quibus locus de quo quaerimus ad nostram memoriam pervenit, non ea ratione facta sunt, ut nil nisi rem a scriptore illustratam servarent, sed (id quod ex quinque primis libris constat) ita, ut ipsam Polybii narrationem ad verbum integram nobis traderent. Quocirca ne excer-

ptoris quidem imprudentiae verba illa tribuenda sunt. Immo sunt certe Polybii, qui se ab his rebus alieniorem esse demonstravit neque clare perspexit, quod exposuit.

Apparet ergo Polybium astronomiae non studuisse, ut hoc in fundamento geographiam poneret, aut quo siderum caelestium motus perspicere quam admirari mallet, sed propter utilitatem magnam, quam in historiarum libris componendis vel in republica gubernanda vel in bello gerendo afferret. An astronomiae aut geographiae causa omnia illa de solis ac lunae cursu persecutus est? Immo vero demonstrare sibi proposuit, summam laudem imperatoriam non ex solo usu proficisci posse, sed eum existere optimum et perfectum militum ducem, qui cum rerum experientia litterarum studia atque animum disciplina eruditum coniungeret. Et error ille quem deprehendimus cuinam potest alii accidere nisi ei qui, si non plane ignarus caelestium rerum, tamen rudior est, quam cui in cotidiano sermone vel rerum contemplatione rationes astronomicae quasi invito et nescio oboriri soleant? Quo factum est, ut rectum nec de Eratosthene nec de Pythea iudicium facere posset, qui quidem viri illarum litterarum studia non ut historici vel militum duces sed ut astronomi geographique cum magna diligentia et animo complexi sunt et lingua illustraverunt. Quorum illum saepius in singulis regionibus vituperavit et emendare studuit, quasi eius verae laudis plane nescius esset; hunc vero prorsus mendacem hominem esse contendit, cui qui confisus esset, in magna errorum copia haereret.

## § 2.

Iam ad stadiorum mensuras transeo. Quae qua diligentia a scriptoribus tradi soleant, iam pluribus exponere nolo, cum praestare videatur, separatim quid de quoque numero statuendum sit quaerere. Sed antequam singula tractamus, illud cognoscere opus erit, quam rationem inter passus Romanorum et stadia Graecorum intercedere Polybius censuerit. Ad quam rem disceptandam tria veterum scriptorum testimonia pertinent, quorum primum ( $\alpha$ ) apud Strabonem est (p. 322): *ἐκ τῆς Ἀπολλωνίας εἰς Μακεδονίαν ἢ Ἐγνατία ἐστὶν ὁδὸς πρὸς ἕω, βεβημα-*

τισμένη κατά μίλιον καὶ κατεστηλαμένη μέχρι Κυψέλων καὶ Ἐβρου ποταμοῦ· μιλίων δ' ἐστὶ πεντακοσίων τριάκοντα πέντε· λογιζόμενα δέ, ὡς μὲν οἱ πολλοί, τὸ μίλιον ὀκταστάδιον τετρακισχίλιοι ἂν εἴεν στάδιοι καὶ ἐπ' αὐτοῖς διακόσιοι ὄγδοήκοντα, ὡς δὲ Πολύβιος προστιθεὶς τῶ ὀκτασταδίου διπλεθρον, ὃ ἐστὶ τρίτον σταδίου, προσθετέον ἄλλους σταδίους ἑκατὸν ἑβδομήκοντα ὀκτώ, τὸ τρίτον τοῦ τῶν μιλίων ἀριθμοῦ. (cf. Chresth. Str. VII, 49. Adduntur p. 323 haec: μίλια δ' ἐστὶ — sc. ab Apollonia ad Thessalonicam — φησὶ Πολύβιος, ταῦτα διακόσια ἐξήκοντα ἐπτά.) Alterum (β) apud eundem (lib. VII, fr. 57) extat: ἀπὸ δὲ Ἐβρου καὶ Κυψέλων εἰς Βυζάντιον μέχρι Κνανέων τρισχίλιοι ἑκατὸν, ὡς φησιν Ἀρτεμίδωρος· τὸ δὲ σύμπαν μῆκος ἀπὸ Ἰονίου κόλπου τοῦ κατὰ Ἀπολλωνίαν μέχρι Βυζαντίου ἑπτακισχίλιοι τριακόσιοι εἴκοσι· προστίθῃσι δ' ὁ Πολύβιος καὶ ἄλλους ἑκατὸν ὄγδοήκοντα, τὸ τρίτον τοῦ σταδίου προσλαμβάναν ἐπὶ τοῖς ὀκτὼ τοῦ μιλίου σταδίοις. Tertium (γ) in Polybii codicibus (III, 39, 8) invenitur: ταῦτα γὰρ νῦν βεβημάτισται καὶ σεσημείωται κατὰ σταδίους ὀκτὼ διὰ Ῥωμαίων ἐπιμελῶς. Strabo igitur bis (α et β) narravit, Polybium tertiam stadii partem ad octo stadia plena addidisse, ut mille passus compleret. Sed aliud (γ) apud ipsum Polybium legimus, quod qua in re a Strabonis verbis discedat, optime his rationibus perspicuum erit:

$$\begin{array}{l} \alpha. \beta. \left\{ \begin{array}{l} 600 \text{ pedes graeci (= 1 stad.) = 600 ped. rom.} \\ \text{itaque M pass. = } \frac{5000}{600} = 8\frac{1}{2} \text{ stad.} \end{array} \right. \\ \gamma. \left\{ \begin{array}{l} 600 \text{ pedes graeci (= 1 stad.) = 625 ped. rom.} \\ \text{itaque M pass. = } \frac{5000}{625} = 8 \text{ stad.} \end{array} \right. \end{array}$$

Quarum rationum utra usus sit Polybius, diiudicare difficile esse videtur. Sed hoc certe apparet, si Polybii verba (γ) omitimus, in iis, quae Strabo prodidit, nil esse quod in dubium vocari possit. Nam numeros 180 (β) et 178  $\left( = \frac{535}{3} \text{ cf. } \alpha \right)$  inter se adeo non discrepare puto, ut uterque ab eodem homine de eadem mensura ex Polybii libris sumi potuerit. Ac si cui minus probabile est, ipsum Strabonem pro 178 stadiis 180 possuisse, hic tamen concedat, omnia haec verba, quibus 180 sta-

dia traduntur ( $\beta$ ), fortasse non integram Strabonis sententiam conservare, cum excerptis cuiusdam studio ad nostram memoriam pervenerint. Denique numerum, quem 180 stadia ter multiplicata efficiunt ( $\beta$ ), recte a me non ad totum inter Apolloniam et Byzantium intervallum, sed ad eam tantum partem revocatum esse, quae ab Apollonia ad Cypsela pertinet, et ex ipsis numeris elucet et per se verisimillimum est, quoniam Egnatia via, quam illis regionibus solam Romani passibus emensi sunt, ne Strabonis quidem temporibus (p. 322) ultra Cypsela munita erat. Ac ne dicamus, numeros qui sunt

$$4458\frac{1}{3} \left[ = (535 \times 8) + \frac{535}{3} \right] \text{ et } 2225 \left[ = (267 \times 8) + \frac{267}{3} \right]$$

tam distincte ad singula stadia definitos esse, ut Polybio tribui non possint, illud nos prohibebit, quod non constat omnino, Polybium in libris suis has ipsas passuum mensuras ad stadia revocasse. Hanc vero sententiam si quis defendet, tum pauca forsitan stadia Polybium aut addidisse (4460 et 2230) aut subtraxisse (4450 et 2220) credas. Ac rationem quam inter stadia et passus intercedere censuit, si non hoc loco, at certe initio libri tricesimi quarti explanavit, ubi, antequam ad ipsam geographiam accederet, complura (velut de zonis) praemisisse videtur, quo singula, quae insequabantur, facilius intellegi possent.

Sed quae in tertio Polybii libro ( $\gamma$ ) traduntur, interpolata esse suspicor. Nam non solum ab ea sententia discedunt, quam Strabo duobus locis prodidit, sed etiam per se ob hasce causas non sunt probanda. Primum toto illo capite (III, 39) Polybius de iis intervallis agit, quorum omnium longitudo passibus a Romanis definita erat, quare mirum est, cur non initio capitis aut in fine stadia cum passibus comparaverit, sed in mediam expositionem haec inserere maluerit. Deinde numeros in hoc capite omnino non consentire, ita ut fenestram inesse putandum sit, infra demonstrabo. Postremo via Domitia, quam solum quod sciam in illis regionibus Romani straverunt, non ante annum 120 a. Chr. n. patebat, sed postea munita est. Polybius autem cum hoc anno iam supremum diem obiisset nil de



huius viae mensuris commemorare potuit, quas quidem plane alias fuisse, his quos referam numeris satis comprobatur:

Strabo p. 178: a Pyrenaeis ad Narbonem:	63 μίλια
a Narbone ad Nemausum:	88 „
a Nemauso ad Aquas Sextias:	53 „
ab Aquis Sextiis ad Varum fluv.:	73 „
ὥστε τὰ σύμπαντα γίνεται:	277 „
ἔνιοι δ' ab Aphrodisiis ad Varum:	2600 στάδια
οἱ δὲ καὶ διακοσίους προστιθέασιν:	2800 „
κατὰ δὲ τὴν ἑτέραν ὁδὸν haec sunt intervalla:	
p. 179: a Rhodano ad Alpes:	63 μίλια
per Vocont. fin. ad Cottias Alpes:	99 „
Alpium ὑπέρθεσις ad Ocelum:	99 „
ab Ocelo ad Italiam:	28 „
Agrippa: Galliae Narbonensis longitudo*:	370 „

\* Sic Plinius (III, 37). Hoc quidem spatium ad Varum pertinens alii codices 270 stadiis definiunt, quem eundem numerum Strabonem quoque (p. 178) tradidisse videmus; sed Martianus Capella (VI, 634) cum illo numero 370 stadiorum consentit.

Polybius III, 39, 9 sqq. [ab Emporiis ad Narbonem (v. infra): 600 stad.]	
a Narbone ad Rhodani διάβασιν: περί	1600 „
a Rhodano ad Alpium ἀναβολήν:	1400 „
Alpium ἀναβολαὶ ad Italiae campos:	1200 „

Videtur autem Agrippa orae, Strabo Domitiae viae (ἢ ἑτέρα ὁδός p. 178) longitudinem dimensus esse. Neque vero cum utriusque mensuris Polybii numeri consentiunt. Denique qua ratione verba, de quibus quaerimus, in tertium Polybii librum inciderint, facile intellegi potest. Nam certe Romanorum aliquis in margine codicis quem possedit haec notavit, unde postea librarium culpa in textum venerunt. Itaque Strabonis testimonio confido ac Polybium ita singula passuum milia ad stadia revocasse puto, ut non solum octies illorum numerum multiplicaret, sed etiam tertiam eorum partem adiceret. Ac si quis exempla desideret, illud moneo, quattuor vel quinque tantum spatia ex Polybii libris passibus Romanis definita ad nostram memoriam pervenisse, quorum duobus illa ratio quam probavimus a Strabone addita est, cetera autem cum certis Polybii stadiorum numeris comparari non possunt, quippe qui traditi

non sint. Ergo res non exemplis illustranda, sed tribus illis testimoniis disceptanda erat.

Iam vero singula tractabo. Qua in re certa quadam nota ( $\alpha$ ,  $\beta$  etc.) unumquemque numerum significabo, ne res nimia verborum multitudine distrahatur neve expositio longior sit quam clarior. Atque primum quidem de Hispaniae Galliaeque, tum de Italiae ac Siciliae, deinde de Africae, postremo de ceteris mensuris agam.

### § 3.

Mensuras igitur de Hispaniae et Galliae spatiis quas traditas inveni, decem enumerabo.

$\alpha$ .	Ab Herc. columnis	ad Carth. novam:	3000 stad.)	} Pol. III, 39, 6 sqq.
$\beta$ .	„ Carth. nova	„ Iberum fluv.:	2600 „	
$\gamma$ .	„ Iberi ostio	„ Emporias urb.:	1600 „	
$\delta$ .	„ hoc loco ( $\acute{\epsilon}\nu\tau\epsilon\upsilon\delta\epsilon\nu$ )	„ Rhodani διάβασις: περί	1600 „	
$\epsilon$ .	„ Rhodano	„ Alpium ἀναβολήν:	1400 „	
$\zeta$ .	„ Alpibus	„ Italiae campos:	1200 „	} Str. 105.
$\eta$ .	„ Herc. columnis	„ Narbonem urb. μικρῶ ἑλαττ. ἤ	8000 „	
$\theta$ .	„ Massilia urbe	„ Herc. col. χεῖρον πλείους ἤ	9000 „	} Str. 106.
$\iota$ .	„ Pyrenaeis mont.	„ Herc. col. μικρὸν ἑλαττ. ἤ	8000 „	
$\kappa$ .	„ Pyren. mont.	„ Herc. col: περί	8000 „	} Pol. III, 39, 5.

Primum  $\beta$  et  $\gamma$  si coacervantur summam 4200 stadiorum efficiunt, quem eundem numerum  $\delta$  et  $\epsilon$  et  $\zeta$  complent. Emporias igitur (vel Pyrenaeos montes, a quibus Emporias non procul — Str. p. 159: 40 stadia — abesse constat) Polybius eodem a Carthagine nova quo ab Italia intervallo distare censuit. Sed in hac sententia non mansit, cum Hannibalem ad Pyrenaeos montes profectum paene ( $\sigma\chi\epsilon\delta\acute{\omicron}\nu$ ) tantum itineris a Carthagine nova iam perfecisse diceret, quantum inde ad togatam Galliam esset (III, 39, 12). Praeterea  $\beta$  et  $\gamma$  et  $\delta$  et  $\epsilon$  et  $\zeta$  consummata fere ad 8400 st. accedunt, qui numerus circiter 600 stadiis ab ea summa differt, quam ex iisdem intervallis Polybius effecit ( $\pi\epsilon\rho\iota$  9000: III, 39, 11). Postremo non verisimile puto, Polybium in his mensuris magnam illam urbem

Narbonem silentio praeteriisse, quam eandem alibi in spatiis emetiendis commemoravit (cf. η). Itaque cum illi numeri inter se non apte cohaerere videantur, Dindorfius post γ (III, 39, 7) verba nonnulla in codicibus excidisse arbitratur. Quod cum concedam, haec fere verba interponenda esse censeo: ἀπὸ δὲ Ἐμπορίου πόλεως εἰς Νάρβωνα περὶ ἑξακοσίους, ita ut illud ἐντεῦθεν (δ) non ad Emporias, sed ad Narbonem revocem (aliter Ukert Geogr. II, p. 255 sq.). Quae verba cum in eandem vocem (ἑξακοσίους) exeant, ac quae antecedunt, quomodo factum sit, ut a librariis omitterentur, facillime est intellectu. Iamque omnem numerorum perturbationem sublatam vides. Nam hoc supplemento addito a Carth. nova ad Italiae campos re vera fere 9000 st. efficiuntur (περὶ 9000: III, 39, 11), quorum β et γ (i. e. 4200) paene dimidiam esse partem (σχέδὸν τοὺς ἡμίσεις: III, 39, 12) nemo non intelleget. Narbo deinde, cuius mensuras antea desideravimus, iam eum locum in his intervallis habet, quem hanc urbem habuisse alibi Strabo tradidit (η). Nam si numeris α et β et γ coacervatis 600 illa inter Pyrenaeos Narbonemque stadia addita erunt, tum fere 7800 st. ab Herc. col. ad Narbonem extant, quam summam Straboni ita significare licuit, ut 200 stadiis additis inter loca illa μικρῶ ἕλαττ. ἢ 8000 st. intercedere diceret (η). Saepius enim Strabo 200 st. sic aut addidit aut subtraxit, ut numerus aliquis, cum non ad singula stadia definiretur, facilius memoriae mandari posset, si quidem pro Eratosthenis quadam mensura, quam huius ipsis verbis 9200 st. fuisse tradidit (Str. 80), aliis locis verba quae sunt μικρῶ πλείων ἢ 9000 (Str. 79. 81) aut πλείους ἢ 9000 (Str. 86. 89) posuit (cf. Str. 72: περὶ 30,000 ἢ μικρῶ πλείους pro 25,200 + 5000).

Verum etsi iam omnia inter se concinere videntur, tamen sunt quae forsitan opponi possint. Ac primum ad omnes illos numeros quoniam in tertio libro leguntur, idem pertinet, quod ad ea intervalla pertinere puto, quorum mensuras stadiorum numeris definitas singulis historiarum libris Polybius inseruit. Quas fortasse non tam accurate diligenterque ad calculos vocavit, quam quae spatia in libro tricesimo quarto emensus est. Nam cum saepius diceret (I, 41, 7. II, 14, 2 sq. III, 36, 1 sqq.

38, 4 sq. V, 21, 4 sqq. X, 9, 8. XII, 25 e, 1), velle se terrarum descriptiones et intervallorum magnitudines passim ad rerum gestarum narrationem addere, ne qui hanc legerent in prorsus obscuris incognitisque regionibus versarentur, non eadem cura in historiarum nexu stadia numerasse videtur, qua in singulari illo libro supersedere non potuit, quippe quo toto universam geographiam complexus esset. Ac ne exempla desint, quam urbem — Carth. novam — in tertio libro 3000 st. a freto Gaditano, 4200 ab Emporiis abesse dixit ( $\alpha$  sqq.), eandem medium inter Herc. columnas et Pyrenaeorum promontorium locum tenere in decimo libro contendit; et pro 7200 stadiorum numero ( $\alpha + \beta + \gamma$ ), qui hoc de quo quaerimus loco legitur, paullo ante  $\pi\epsilon\rho\iota$  8000 ( $\ast$ ) posuit. Ergo non infitiandum videtur, ab ipso Polybio hos numeros non adeo accurate ad vera intervalla revocatos esse, ut in mala hac metiendi ratione, quamvis non apte mensurae inter se cohaereant, tamen nonnihil addere aut subtrahere hominis nimis audacis esset.

Haec fere argumenta coniecturae illi opponi possunt. Quae omnia, etsi per se sana sunt, tamen hic ferri posse nego. Nam concedo, numerum  $\pi\epsilon\rho\iota$  8000 ( $\ast$ ) discrepare ab ea summa, quam  $\alpha$  et  $\beta$  et  $\gamma$  complent (7200), deinde  $\eta$  et  $\iota$  pares numeros in imparibus spatiis evadere, postremo illa decimi libri de Carth. nova verba cum numeris 3000 ( $\alpha$ ) et 4200 ( $\beta$  et  $\gamma$ ) non consentanea esse. Sed quid aliud inde consequens est, quam ut spatia aut Polybium non accurate dimensum esse aut Strabonem parum diligenter ex eius libris conservasse arbitremur? Quod quidem ad rationem, qua intervalla alter posuit, alter conservavit, multum pertinere elucet, sed ad coniecturam a me propositam quid pertineat non video. Nam  $\eta$  recte a Strabone ex Polybii opere sumptum esse certum est, cum hic numerus tota illa in Dicaearchum ratiocinatione satis confirmetur. Deinde  $\ast$  ob eam causam Polybio minus bene statuere licuit, cum singulas huius numeri partes paullo post accuratius definiret. Postremo illa decimi libri sententia summae, quam  $\alpha$  et  $\beta$  et  $\gamma$  efficiunt, auctoritatem non aufert, quippe qua non ipsius lineae longitudo geographica ratione numeris definiatur (3000 st. et 4200 st.), sed singulorum tantum locorum situs quinam in illa

linea sint geometrarum more (*μέτρος*) illustretur. Quare  $\eta$  et  $\kappa$  et  $\iota$  quamquam, (nisi Strabo numeros corrumpit) minus accurate a Polybio posita esse arbitrandum est atque illi de mala metiendi ratione sententiae documento sunt, idcirco tamen coniecturam meam non irritam facere contendo.

Restat  $\theta$ , in quo Polybius (nisi Strabonem sicut in numero  $\iota$  indiligentiae accusare malumus) ob eandem causam errasse videtur, quae saepius deprehendi potest. Nam hoc quidem elucet, iam  $\alpha$  et  $\beta$  et  $\gamma$  et  $\delta$  (= 8800 st.), etiamsi ita consummamus, ut illa 600 stadia a me addita omittantur, tamen ipsa maiorem summam efficere, quam quae cum numero  $\theta$  consentiat. Sunt autem  $\theta$  et  $\iota$  contra Eratosthenem a Polybio posita (Str. 106) et a ceteris numeris, quos alibi enuntiavit, propterea discrepant, quod nunquam intervalla sua comparavit et uno aspectu contemplatus est. Et certe multi eius errores inde exorti sunt, quod in geographicis opinionibus explanandis non id egit, ut *πίνακα γεωγραφικόν* oculis proponeret, sed verbis tantum ac numeris terrarum orbem describeret.

Iam si quis quaerat, unde Polybius has Hispaniae mensuras sumpserit, non ex alio fonte eum hausisse puto, quam ex itineribus, quae fecit. Sed de his postea.

#### § 4.

Iam ad intervalla Italiae et Siciliae transeo, quorum duodecim in reliquiis extant.

$\alpha$ .	Alpium longitudo:	$\epsilon\pi\lambda$ 2200 st.	} Pol. II, 14, 9. Str. 209.
$\beta$ .	Apennini „ ad Senae regionem:	$\epsilon\pi\lambda$ 3600 „	
$\gamma$ .	A Sena oppido „ Adriat. maris sinum:	$\upsilon\pi\epsilon\rho$ 2500 „	} 10 sq.
$\delta$ .	„ Iapygia „ Senam urbem:	562 $\mu\lambda\iota\alpha$ (vel 4683 $\frac{1}{2}$ „)	
$\epsilon$ .	„ Sena urbe „ Aquileiam urbem:	178 $\mu\lambda\iota\alpha$ (vel 1483 $\frac{1}{2}$ „)	} Str. 285.
$\zeta$ .	„ Siculo freto „ Tarentum $\eta$ παραλλα:	πλείονων $\eta$ 2000 „	
$\eta$ .	„ Iapygia „ Sic. fret. „ „ πεζ $\eta$ :	3000 „	} Str. 211.
$\delta$ .	„ Iapygia „ Sic. fret. πλείοντι:	2500 „	
$\iota$ .	„ Sic. freto „ Lacinium promontorium:	1300 „	} Str. 261.
$\kappa$ .	„ Lac. promont. „ Iapygiae prom.: τὸ διάγραμμα	700 „	

λ. A Narbone	ad Sic. fret. recta linea: πλεῖον ἤ	} Str. 105.
	11200 st.	
μ „ Col. Herc.	„ Sic. fret. „ „ fere 18786 „	

Ex quibus omnibus intervallis de uno tantum Eratosthenis sententia nota est, dico eum numerum, quem ultimo loco ( $\mu$ ) posui, de quo quidem iam disputare nolo, cum melius mihi cum iis mensuris comparari videatur, quae de Africae longitudine traduntur. Ac ne  $\lambda$  quidem nunc tractabo, quod sicut apud Strabonem ibidem legitur, ubi  $\mu$ , ita a me eodem loco ponendum est. De ceteris autem spatiis certe iam ante Polybium geographi sententias conscripserunt, sed fato accidit, ut earum nulla etiam nunc extet. Quare (fortasse praeter  $\delta$  et  $\epsilon$ ) pro certo affirmari non potest, utrum hos numeros ipse Polybius primus posuerit an ex aliorum libris deprompserit. De singulis haecce addenda sunt.

Primum quidem  $\alpha$  et  $\beta$  et  $\gamma$  coacervata fere 8300 st. efficiunt. Sed lineae, quarum longitudines Polybius his numeris definivit, septentrionalem Italiae partem ita terminant, ut Apeninus mons non ad ipsam Adriatici maris oram pertineat, sed 500 st. abhinc meridiem versus flectatur (II, 16, 4), itemque Alpes angusto spatio (*πλήν βραχέος*: II, 14, 6) a pelagi sinu distent. Quae cum illis 8300 consummata summam circiter 9000 st. complent. Polybius autem totam Galliam togatam circuitu *οὐ πολὺ λείπειν τῶν* 10000 st. dixit (II, 14, 12). Quod eo minus accuratum est, quod alibi Senam (II, 14, 11), alibi Ariminum (III, 86, 2) pro meridiano Galliae termino posuit. Et illud moneo, quod iam dixi, Polybium spatia hic non ad singula stadia definivisse, cum breviter tantum ea attingeret, quae in tota orbis terrarum descriptione postea accuratius repetere sibi proposuerat.

Deinde  $\delta$  et  $\epsilon$  his verbis a Strabone nobis conservantur (p. 285): *Πολύβιος ἀπὸ τῆς Ἰαπυγίας μεμιλιάσθαι φησὶ καὶ εἶναι μίλια πεντακόσια ἐξήκοντα δύο εἰς Σήναν πόλιν, ἐντεῦθεν δ' εἰς Ἀκυληϊαν ἑκατὸν ἐβδομήκοντα ὀκτώ*. Certas igitur Romanorum mensuras Polybius tradidisse videtur. Nec dubium est, quin viae tum publice munitae fuerint, quarum longitudinem Romani passibus definiverant. Sed has ipsas num Polybius

cognoverit illisque mensuris significaverit, ambiguum est. Nam Chorographus quoque Strabonis et Agrippa (nisi duo haec nomina eiusdem viri esse putes), eadem intervalla passibus definirunt, sed in numeris a Polybio discrepant. Ac ne Artemidorum quidem, qui in emetienda hac Italiae ora non passuum sed stadiorum rationibus usus est, cum Polybio consensisse videmus. Strabonis denique numeri, qui ad nostra tempora pervenerunt, non ad totius orae longitudinem, sed ad nonnullas tantum partes pertinent. Quae omnia tabulae forma illustrentur.

Chorographus:	a Brundisio	ad Garganum:	165 $\mu\lambda\tau\alpha$	} Str. 285.
	„ Gargano	„ Anconam:	254 „	
Agrippa:	„ Iap. promont.	„ Garganum:	234 „	} Plin. III, 103.
	„ Gargano	„ Anconam:	183 „	
	„ Ancona	„ Aquileiam:	255 „	} Plin. III, 115 et 127.
Artemidorus:	„ Brundisio	„ Garganum:	$\kappa\lambda. \tilde{\eta}$	
			800 stad.	} (8 $\times$ 165) Str. 285.
	„ Gargano	„ Anconam:	1250 „	
Strabo:	„ Iap. promont.	„ Brundisium*:	550 „	} (150 $\dagger$ 400) Str. 281.
		* Cf. Agrippa apud Plinium (III, 100 sq.): 69 M. pass. = 552 stad.		
	„ Brundisio	ad Garganum**:	1540 stad.	} (700 $\dagger$ 400 $\dagger$ ) 140 $\dagger$ 300) Str. 283 sq.
		** 550 st. $\dagger$ 1540 st. = 2090 st. = 261 M. pass.		
	„ Gargano ad Bucam:	400 stad.	} Str. 285.	
	Picentinatorum orae paraplus:	490 „	} Str. 242.	
	ab Ancona ad Castrum:	800 „	} Str. 241.	
	a Ravenna „ Ariminum:	300 „	} Str. 227.	

Eratosthenes vero nunquam Romanis passibus mensuras definiuit. Quae cum ita sint, quid de Polybii numeris praeterea dicam, nescio, praesertim cum ne inter se quidem conciliari posse videantur; nam  $\gamma$  ( $\acute{\upsilon}\pi\epsilon\rho$  2500 st.) et  $\epsilon$  (178 M. p. = fere 1500 st.) nimis diversa sunt, nisi putamus, Polybii sententia  $\tau\acute{\omicron}\nu\ \tau\acute{\omicron}\tilde{\upsilon}\ \text{Ἀδρίου μυχόν}$  ( $\gamma$ ) non amplius proferendum esse, quam quo extremi Italiae fines pertinent (sc. ad Tergestam vel Polam urbes, cf. Plin. III, 129. Str. p. 209).

Simile quoddam de insequentibus numeris (ξ sqq.) dicendum est. Nam hoc quidem loco cum magis scriptores inter se concinant, tum Strabo ipsos Polybii numeros recepit; tamen ne has quidem mensuras ex quonam fonte Polybius hauserit diiudicari potest.

Chorographus:	Tarentini sinus periplus *	240 M. p. }	Str. 261.
Agrippa:	a Caulonia ad Lac. prom.	70 M. p. }	Plin. III, 96.
	„ Lac. prom. „ Tarentum	136 M. p. }	Plin. III, 99.
	„ Tarento „ Callipolim	75 M. p. }	Plin. III, 100.
	„ Callipol. „ Iap. prom.	32 M. p. }	
	* Agrippae numeri qui sunt 136 et 75 et 32 si con-		
	summantur (243 M. p.) a Chorographi mensura		
	paene non discrepant.		
Strabo:	„ Sic. freto ad Lacinium prom.	1300 st. }	Str. 261, cf.
	„ Lac. prom. „ Iap. prom. τὸ διαπύμα	700 „ }	281.
	„ Lac. prom. „ Crotonem	150 „ }	Str. 262.
	„ Crotone „ Sybarim	200 „ }	Str. 263.
	„ Sybari „ Troiam	330 „ }	Str. 264.
	„ Troia „ Metapontum	140 „ }	
	„ Metaponto „ Tarentum	220 „ }	Str. 278.
	„ Tarento „ Baridem	600 „ }	Str. 281.
	„ Baride „ Iap. prom.	80 „ }	

Artemidori denique mensurae tam depravatae ac mutilae in Strabonis codicibus (p. 261 sq.) traditae sunt, ut cum numeris ceterorum scriptorum comparari non possint.

In his quoque numeris itinerum observationibus Polybius magnam auctoritatem tribuisse videtur. Sed quibus in partibus Siciliae et Italiae versatus sit, postea exponam.

### § 5.

Tertius quaestionis locus de Africae mensuris est, quibuscum ea intervalla coniungam, quae ad longitudinem orbis terrarum pertinent.

α.	A col. Herc.	ad Carthaginem	1100 M. p. (vel 8800 st.)	} Plin. V, 40.
β.	„ Carthagine	„ Canopum	1628 M. p. (vel 13024 st.)	
γ.	„ col. Herc.	„ Siciliam	1250 M. p. (vel 10000 st.)	} Plin. VI, 206.
δ.	„ Lilybaeo	„ Africam	fere 1000 st.	
ε.	„ col. Herc.	„ Sic. fretum	„ 18766 st.	} Str. 105.
ζ.	„ col. Herc.	„ os Maeotis directo		
		cursu	3437½ M. p. (vel 27500 st.)	} Plin. VI, 206.



η. A Sicilia	ad Cretam	375 M. p. (vel 3000 st.)	} Plin. VI, 206.	
ζ. „ Creta	„ Rhodum	187½ M. p. (vel 1500 st.)		
ε. „ Rhodo	„ Chelid. ins.	187½ M. p. (vel 1500 st.)		
κ. „ Chelid. ins.	„ Cyprum	225 M. p. (vel 1800 st.)		
λ. „ Cypro	„ Syriam	115 M. p. (vel 920 st.)		
μ. „ col. Herc.	„ Maleam	22500 st.		} Str. 25.
ν. „ col. Herc.	„ Philaen. aras	ὑπερ 16000 st.		} Polyb. III, 39, 3.
ξ. „ Carthagine	„ Syrtim minorem	300 M. p. (vel 2400 st.)		} Plin. V, 26.
ο. „ Syrtidis min. initio ad eiusdem finem ambitu		300 M. p. (vel 2400 st.)		
π. „ Apollonia	ad Thessalonicam	267 M. p. (vel 2225 st.)		} Str. 322.
ρ. „ Apollonia	„ Cypsela	535 M. p. (vel 4458 st.)		
σ. „ Epidamno	„ Thessalonicam	ὑπερ 2000 st.	} Str. 106.	

Primum α et β, ut ait Plinius (V, 40), ex Eratosthenis libris sumpta sunt. Hic tamen Strabonis testimonio (p. 64) alios numeros de iisdem intervallis concepit.

Plinius:

α. 1100 M. p. (= 8800 st.)  
β. 1628 M. p. (= 13024 st.)

Strabo:

α. τοῦλάχιστον 8000 st.  
β. 13500 st.

Qua in re non difficile est ad discernendum, uter scriptorum veram Eratosthenis et Polybii sententiam conservaverit. Nam cum Latini scriptores litteris singularibus mensuras designarent, saepissime factum est, ut hae in codicibus plane corruptae traderentur. Graecorum vero numeri plerumque integri sunt, cum rarius verbum aliquod plenis litteris scriptum depravari soleat, quam singulae numerorum notae. Huc adde, quod apud Strabonem illae Eratosthenis mensurae pluribus locis pares leguntur saepiusque longis numerorum rationibus expositis confirmantur, id quod ita demonstrabo, ut ipsas mensuras adiciam.

I. Str. p. 63: Eratosthenes de latitudine orbis terrarum haec \* spatia emensus est:

αα. a Meroë	ad Alexandriam	10000 st.
ββ. ab Alexandria	„ Hellespontum	περὶ 8100 „
γγ. „ Hellesponto	„ Borysthenem	5000 „
δδ. a Borysthene	„ Thules parallelum	11500 „
εε. „ Meroë	„ Taprobanes parallelum	3400 „

\* Hos numeros, quorum summam (38000 st.) Strabo recte computavit, alibi quoque traditos invenimus (Str. p. 68. 73. 135. Plin. VI, 183. II, 183. Cleom. th. c. p. 52 sqq. Mart. Cap. VI, 194).

II. Str. p. 64: Eratosthenes cum sententiam defenderet, ὅτι πλέον ἢ δε-  
πλάσιον τὸ γινώριμον μῆκος ἐστὶ τοῦ γινώριμου πλάτους,  
has\*\* de longitudine orbis terrarum mensuras posuit:

ζζ.	ab Eoo mari ad Indum fluvium	16000 st.
ηη.	accedit promontiorum longitudo	3000 „
θθ.	inde usque ad Caspiae portas	14000 „
ιι.	„ „ „ Euphratem amnem	10000 „
κκ.	„ „ „ Nilum flumen	5000 „
λλ.	„ „ „ Canopicum ostium	1300 „
μμ.	„ „ „ Carthaginem urbem	13500 „
νν.	„ „ „ Herc. columnas τοῦλάχιστον	8000 „

\*\* Quae Strabo postquam recte coacervavit (70800 st.) exponere pergit, Eratosthenem 3000 + 2000 + 2000 st. ad illa addidisse, ut eum numerum (77800 st.) efficeret, qui maior esset quam 76000 st. (= 2 × 38000 st.). Hae quoque mensurae aliis testimoniis comprobatae sunt (Str. p. 91. 689. 723 sq., cf. 514. 786. 791).

Ergo μμ et νν, de quibus iam agitur, recte a Strabone conservata esse putandum erit, ita ut Eratosthenes Canopi a Carthagine distantiam 13500 stadiis taxaverit, a Carthagine vero ad Herc. columnas τοῦλάχιστον 8000 st. esse arbitratus sit. Accedit quod idem Strabo et Eratosthenis sententia inter Carthaginem et Alexandriam ὑπὲρ 13000 st. intercedere (Str. p. 93), et sua ipsius opinione ab Alexandria ad Canopum orientem versus lineam 120 stadiorum patere (Str. p. 108, cf. Eusth. ad Dion. v. 11) scribit. Itaque quamquam fortasse α (8800 st.) apud Plinium, nisi  $\overline{X}$ . M. pass. pro  $\overline{XI}$ . M. pass. scribere malis, mutare non opus est, tamen β (13024 st.) falso in codicibus traditur. Et profecto vix fieri potuit, ut Polybius ad magnum 13000 stadiorum numerum exigam illam 24 stadiorum particulam adderet. Quare pro  $\overline{XVI}$ . XXVIII. (1628 M. p.) in Plinii libris  $\overline{XVI}$ . LXXXVIII (1688 M. p. = 13504 st.) ponendum esse apparet.

Iam ad γ, δ, ε venio, quorum γ quidem et δ unde petita sint nescio. Nam in his quoque numeris Polybius Eratosthenem secutus esse videtur, cum mensurae et inter se optime concinant et ab eodem positae esse possint, a quo α positum erat. Sed certi quicquam affirmare nequeo. Immo ipsum Po-

lybium, cum saepius in Africa, Sicilia, Hispania versatus sit, ex his itineribus illarum mensurarum primas duas concepis-  
 verisimile est. Eratosthenes vero, qui primus illud inter Her-  
 culis columnas et Carthaginem intervallum *τοῦλάχιστον* 8000 st.  
 ( $\alpha$ ) taxavit, certe tantum abest ut  $\gamma$  et  $\delta$  posuerit, ut Cartha-  
 ginem in eodem meridiano circulo quo Siculum fretum sitam  
 esse opinatus sit (Str. 93). De  $\epsilon$  vero plura dicenda sunt, qui  
 numerus ex Strabonis verbis (p. 105) hisce rationibus conclu-  
 ditur. Polybius enim Dicaearchi numerum quendam (7000 st.  
*ἀπὸ πορθμοῦ Σικελικοῦ μέχρι στηλῶν*) falsum esse ita demon-  
 stravit, ut duas a Narbone lineas duceret, quarum in altera  
 usque ad Herculis columnas *μικροῦ ἕλαττον ἢ 8000 st.* esse pu-  
 tavit, in altera vero usque ad Siculum fretum *πλεῖον ἢ 11200*.  
 Ad has lineas deinceps alias addidit; Herculis enim columnas  
 cum Siculo freto coniunxit, a Narbone vero ad hanc lineam aliam  
 rectam demisit, cui longitudinem stadiorum 2000 tribuit. Post-  
 remo Polybius haec fere adiecit: *δῆλον οὖν ἐκ τῆς παιδικῆς με-  
 τρήσεως, ὅτι ἢ σύμπασα παραλία ἢ ἀπὸ τοῦ πορθμοῦ ἐπὶ στη-  
 λας ἔγγιστα ὑπερέχει τῆς διὰ τοῦ πελάγους εὐθείας πεντακοσίους  
 σταδίους*. Has recte Polybium rationes effecisse elucet; nam:

$$\begin{aligned} \text{primum: } & 8000 + 11200 = 19200; \text{ itaque } x = 19200 - 500 = 18700 \text{ st.} \\ \text{deinde: } & x = 200 (\sqrt{40^2 - 10^2} + \sqrt{56^2 - 10^2}) = \sqrt{1500} + 55,10. \\ & \left. \begin{array}{l} \log. 1500 = 3,17609 \\ 2 : 3,17609 = 1,58805 \end{array} \right\} \begin{array}{l} 55,10 + 38,73 = 93,83. \\ x = 200 \times 93,83 = 18766 \text{ st.} \end{array} \end{aligned}$$

Iam luce clarius est, hunc numerum (18700 vel 18766) plane  
 a ceteris illis ( $\alpha$ ,  $\beta$ ,  $\gamma$ ,  $\delta$ ) discrepare, quos supra commemoravi-  
 mus. Verum integros eos ex Polybii libris ad nostram memo-  
 riam pervenisse, tota Strabonis ratiocinatione satis comprobatur.  
 Quare Polybium sibi non constituisse statuendum est, quod idem  
 numero  $\mu$  firmatur, quem supra omisimus. Ac procul dubio ideo  
 in magnos eiusmodi errores incidit, quod nunquam omnium in-  
 tervallorum tabulam ante oculos sibi proponere suscepit. Nam  
 multas terras descripsit, multas mensuras collegit, sed nunquam  
 singula ad *πίνακα γεωγραφικόν* delineandum comprehendit, nun-  
 quam universam spatiorum imaginem adumbravit. Ita factum  
 est, ut sententiam alicuius veteris geographi cum tanto studio

repudiaret, ut non animadverteret, se illi plane alium numerum opponere, quam quem ipse alibi iam probasset.

Transeat ad eos numeros (inde a  $\xi$  usque ad  $\lambda$ ), quos Plinius in fine totius de geographia expositionis (VI, 206) uno tenore his verbis tradidit: *'Et abunde orbe terrarum extra intra indicato colligenda in artum mensura aequorum videtur; Polybius a Gaditano freto longitudinem directo cursu ad os Maeotis XXXIII. XXXVII mil. D passuum [ $\xi = 27500$  st.] prodidit; ab eodem initio (ad orientem directo cursu) Siciliam XII. L mil. passuum ( $\gamma$ ), Cretam — — [sequuntur numeri ab  $\eta$  ad  $\lambda$ ], quae computatio efficit XXIII. XL M. passuum [= 18720 st.]'* Quibuscum comparandum est, quod iam supra vidimus, Polybium cum Eratosthene ab Herculis columnis ad Canopicum ostium plus 21500 st. (= 13500 + *τοῦλάχιστον* 8000 st.) possuisse. — Iam in his numeris non omnia nobis fidem facere possunt. Ac primum quidem non verisimile est, omnino Polybium Europae longitudinem ab Herculis columnis ad os Maeotis directo cursu emensum esse. Nam recta hac linea neque orae neque orbis terrarum longitudo significanda erat. Quare nec facile nec opus erat, id spatium emetiri, quod non aut in orbe terrarum navibus percurri aut in caelo certis circulis definiri potuit. Et profecto quod nemo Graecorum geographorum facere aut ausus est aut utile esse existimavit, hoc ne Polybii quidem studium incitasse probabile est. Praeterea vix mihi persuadere possum, Polybium maius intervallum inter Herculis columnas et Canopum urbem (21500 st.) intercedere censuisse, quam inter Herculis columnas et Issicum sinum (18720 st.). Nam cum Eratosthenis numeros in his regionibus reciperet, illam certe eiusdem sententiam comprobavit, Rhodum in eadem inter utramque terrae axem linea sitam esse, in qua Alexandriam (Str. 93). Itaque Issici sinus ab Herculis columnis distantiam maiore stadiorum numero Polybium designasse arbitrandum est, quam quo intervallum inter Canopum et Gaditanum fretum definivit. Postremo cum Plinius paullo ante dixerit, *'aequorum mensuram se in artum colligere velle'*, intellegi certe non potest, quae tandem ratio inter primum Po-

lybii numerum (ζ) et marium mensuras intercedat, cum recta illa ab Herculis columnis ad os Maeotis linea Europa nequam ab interno mari seiungatur. Has dubitationes optime tali modo tolli credo.

Errant, si non ipse Plinius, at certe eius codices in primo numero, quem Polybius non de illa quam in libris legimus longitudine posuit, sed de spatio recto, quod inter Gaditanum fretum et Issicum sinum patebat. Cuius viae singulas deinceps mensuras refert, sed ita, ut aut Siciliae Cretae Cypri longitudes a scriptore omittantur (quas quidem Polybius, si hoc probatur, 27500 — 18720 = 8780 stadiis definivisse videtur) aut numeros in codicibus depravatos esse statuendum sit. Tum pergit Plinius (VI, 207) his verbis: *'Agrippa hoc idem intervallum a freto Gaditano ad sinum Issicum per longitudinem directam XXXIII. XL M. p. (= 27520 st.) taxat.'* Qui numerus fere idem est, quem antea ex Polybii libris sumpsit ille quidem, sed ad falsam lineam revocasse videtur. Sic omnia inter se cohaerent. Et Artemidori quoque numerus addatur, qui Agathemeri testimonio (§ 16) in eandem lineam 26820 stadia (= XXXIII. LII M. D pass.) collegit; Strabo denique (p. 106) ὕψος 25500 st. posuit.

Iam vero ad υ et ξ et ο transeo; nam μ omittam, quod Polybius non accurate ad calculos vocavit, sed tantum ita statuit, ut 2500 stadia novies multiplicaret; ita factum est, ut hic numerus a ceteris discreparet, quos de eodem intervallo Polybium posuisse iam commemoravi. Sed in illis numeris tractandis complures scriptorum mensurae comparandae sunt, quas praemittam.

Agathemerus III, 8:	A. maioris Syrtidis periplus:	5000 st.
	B. minoris Syrtidis periplus:	1600 „
Strabo p. 128:	C. minoris Syrtidis periplus:	1600 „
	D. maioris Syrtidis periplum Eratosthenes taxat:	5000 „
	sed alii taxant:	4000 „
	E. maioris Syrtidis βᾶσις Eratosthenis sententia:	1800 „
	sed aliorum opinione:	1500 „

Plinius V, 26:	F. a Carthagine ad min. Syrt. Poly- bius taxat:	CCC M. p. = 2400 st.
	G. { eiusdem sententia { aditus:	C M. p. = 800 „
	H. { minoris Syrt. { ambitus:	CCC M. p. = 2400 „
V, 27:	I. litoris inter Syrtidis siti lon- gitude:	CCL M. p. = 2000 „
	K. { maioris Syr- { circuitus:	DCXXV M. p. = 5000 „
	L. { tidis { aditus:	CCCXII M. p. = 2500 „
V, 24:	M. Byzacii terrae paraplius:	CCL M. p. = 2000 „
V, 39:	N. a Cyrene ad Alexandriam ter- restri itinere Erat. taxat:	DXXV M. p. = 4200 „
Polybius XII, 1, 1:	O. Byzacii longitudo περιφέρης:	2000 „
III, 39, 3:	P. Africae ora a freto ad Philaenorum aras:	ὑπὲρ 16000 „

Agathemerus primum (Mueller. geogr. min. II p. 471 sqq.) quinque capita τῆς γεωγραφίας ὑποτυπώσεως composuit, quorum, in primo de veterum geographia, in altero de ventis, in ceteris de quibusdam geographicis mensuris egit. Initio autem quinti capituli se imprimis Artemidori Menippique mensuras traditurum esse dixit. Deinde quarti capituli numeros dubitari non posse quin ex Artemidori libris deprompserit, satis a Muellero comprobatum est. Restat igitur tertium (§ 8—§ 14), in cuius prima paragrapho (§ 8) illi quos iam tractabo numeri (A et B) leguntur. Neque igitur quisquam infitiabitur, verisimile esse, huius quoque capituli mensuras in Artemidori opere infuisse, unde Agathemerus in suum libellum transferret. — Iam Strabonis libros evolvamus, quem per multas stadiorum mensuras ab Eratosthene et Artemidoro petitas harum de quibus quaero terrarum descriptioni inseruisse videmus. Ex quibus nunc ea intervalla eligam, quae iisdem stadiorum numeris definita ab Agathemero ac Strabone traduntur.

Agathemerus cap. III.	Strabo lib. II.
Y. § 8. ε et αχ'	p. 123: 5000 et 1600
Φ. § 12. μυριάδες δύο	p. 766: 10000 + 10000
X. § 14. μύριοι διαχίλιοι	p. 767: 12000
Ψ. § 14. ς et δψ' et μύριοι β.	p. 768: 9000 et 4500 et 14000
Ω. § 14. ζ' et ε	p. 769: 80 et 5000.

Strabo autem 5000 stadia (T) Eratosthenis numerum esse et omnes a pag. 766 ad pag. 769 mensuras ex eiusdem libris se sumpsisse dixit. Consentit Plinius, qui illa 20000 (Φ. cf. Pl.

VI, 108) Eratostheni tribuit; sed discrepat idem de alio numero ( $\Psi$ . cf. Pl. VI, 163), ubi scripsit Eratosthenem, ‘*ab ostio Arabici sinus XIII M. in quamque partem taxasse.*’ Sunt autem XIII M. pass. non 13500 vel 14000 st. ( $\Psi$ ), sed 10400, quare pro XIII in codicibus XVII. L (= 14000 st.) scribendum esse puto. Constat ergo Agathemerum in paragraphis octava, duodecima, decima tertia eosdem atque Eratosthenem numeros habere. Quamobrem aut ex Strabonis opere aut ex ipsius Eratosthenis libris aut ex alius geographi sententia, qui Eratosthenem secutus est, Agathemerum sua conguessisse statuendum est.

Sed primum Strabonis libri ante quintum saeculum p. Chr. n. nunquam nominantur, ita ut fortasse hac demum aetate ex bibliotheca aliqua, ubi per longum temporis spatium occulti fuerant, ad lucem prolati sint. Ac ne tum quidem late divulgati sunt, cum rarius commemorentur, quam quisquam eorum geographorum, qui ad amplissimum honorem pervenerunt. Quare Agathemerum Strabonis opere usum esse non probabile est, praesertim cum huius nomen nunquam commemoraverit. — Eratosthenes autem apud veteres non tali laude dignatus est, quali dignus esse nostris temporibus putatur. Nam multi de eo scripserunt, multi eum laudant sequunturque; sed plane novas rationes eum iniisse omnes ignorant. Et Agathemerus quoque Artemidorum et Menippum multo magis aestimasse videtur. Quos quidem postea nominatim laudat; Eratosthenis vero in primo tantum capite, quod exordii locum habet, inter multos alios ita mentionem facit, quasi nihilo maior fuerit quam ceteri. Itaque dummodo argumenta afferre possimus, cur Agathemerus in illis numeris alium quendam secutus esse videatur, hac quoque sententia sine dubitatione desistemus, eum sua ex ipsis Eratosthenis libris contulisse. — Sunt autem plura, quae mihi persuadeant, Artemidorum in his mensuris Eratostheni assensum esse, Agathemerum vero Artemidorum sequi. Nam primum quidem Artemidorus in opere suo multa Asiatica intervalla iisdem stadiorum numeris definivit, quos Strabo apud Eratosthenem legit (Str. 663). Polybii igitur exemplo usus magnam huic auctoritatem tribuit in iis regionibus, quas in suis

ipsius itineribus non viderat. Deinde Strabo, postquam Eratosthenis de Arabia numeros (p. 766 — p. 769) enumeravit, Artemidori sententias ita adiungit (p. 769), ut ne unam quidem eius mensuram tradat. Quid ita? Quia Artemidorus certe Eratosthenis numeros recepit. Quod si non fecisset, Strabo silentio praeteriisse putari non potest, quippe quem amborum geographorum mensuras inter se comparasse videmus (cf. p. 663). Porro iam supra ostendi, ex ceterorum capitum numeris apparere, Agathemerum imprimis ex Artemidori opere sua conscripsisse. Plinius denique ad illum Eratosthenis numerum, quem (VI, 163:  $\overline{\text{XIII}}$  mil. p.) corruptum esse dixi, quasdam Artemidori mensuras de longitudine sinus Arabioi addidit [ $\overline{\text{XVII}}$ . L mil. p. (= 14000 st. cf.  $\Psi$ ) ab Arabiae latere;  $\overline{\text{XI}}$ . XXXVII mil. D pass. (= 9100 st. cf.  $\Psi$ ) a Trogodytico latere Ptolemaida usque], quarum prior cum Eratosthenis numero concinit, altera vero fortasse mutanda ( $\overline{\text{XI}}$ . XXV M. p.) aut ita defendenda est, ut Strabonem et Agathemerum brevitatis causa 9000 pro 9100 posuisse putemus (aliter Müllenhoff, Deutsche Alterthumskunde I, p. 282).

Ut igitur Agathemeri paragraphos 9. 10. 11. 13. omitam, quas in eodem capite (III) inesse dixi, de ceterarum numeris ( $T$  sqq.) diiudicandum est, hos in geographicis libris Eratosthenem tradidisse, Artemidorum inde sumpsisse, deinceps Strabonem ab Eratosthene, Agathemerum ab Artemidoro petivisse. Eratosthenes autem Asiaticas mensuras certe ex operibus mensorum Alexandri Magni recepit (Str. 768, cf. 723. 514. Plin. VI, 61), de Africa vero certissima tradidit, cum in urbe Cyrene natus esset, quo facilius Artemidorus ceterique geographi fidem ei habuisse videntur. (Nam alios praeterea eosdem numeros tradidisse manifestum est; cf. Pl. V, 27. Anonym. apud Muell. geogr. min. II, p. 505 sqq. §§ 44—53.)

Iam ad Polybium venio, qui, ut supra vidimus, Eratosthenis quasdam de Africa mensuras (13500 et  $\tau\omicron\upsilon\lambda$ . 8000) recepit. Itaque verisimile est, eum hoc quoque loco idem fecisse, id quod de uno numero (5000 st., cf. D cum K) traditur. Quamobrem equidem Eratostheni illam Polybii mensuram a Car-



thagine ad Syrtim minorem adiudico (F), Muelleri autem (geogr. min. II, 473) sententiam probo, pro CCC (2400 st.) in Plinii codicibus (H) scribendum esse CC (= 1600 st.), Plinii denique numerum CCCXII (L) aut ad aliud spatium revocandum aut in CCXXV M. p. (= 1800 st. cf. E) mutandum esse censeo.

Praeterea Polybius ipse dixit, se in Asiaticis mensuris imprimis Eratosthenem secuturum esse, qua in re Artemidorus ei assensus est (Str. 663). Quorum quidem geographorum alter in veterum sententiis recensendis, in itineribus faciendis, in numeris tradendis alterius tam similis esse videtur, ut quod de hoc dicendum est, ad illum quoque referre liceat. Itaque ut omnia iam complectar, hosce numeros Eratostheni tribuo, in quibus et Polybium et Artemidorum cum eo concinisse partim scriptores tradunt, partim equidem suspicor:

#### I. De Africa:

a. ab Herc. col. ad Carth. recta via: τοῦλάχ.	8000 st. (vel 8800 st.)
b. a Carth. ad Nili Canopicum ostium recta via:	13500 st.
c. Byzacii terrae periplus:	2000 „
d. a Carth. ad minorem Syrtim parapulus:	2400 „
e. minoris Syrtidis aditus:	800 „
f. minoris Syrtidis ambitus:	1600 „
g. litoris inter Syrtides siti longitudo:	2000 „
h. maioris Syrtidis	{ aditus (Plinio teste): 2500 „ [?]
	{ βάλτος (Strabone teste): 1800 „
i. maioris Syrtidis circuitus:	5000 „
k. Africae ora a freto ad Philaenorum aras:	ὑπὲρ 16000 „
l. orae longitudo a Cyrene ad Alexandriam:	4200 „

#### II. De Persico et Arabico maribus:

m. Persici maris ambitus:	20000 „
n. Arabici sinus longitudo ab Heroopoli ad Ptol.:	9000 „
o. Arabici sinus longitudo a Ptol. ad Diren:	4500 „
p. Arabici sinus fauces circa Diren:	60 „
q. hinc ad Oceanum in rubro mari navigatio:	5000 „
r. Arabici sinus Arabicus parapulus ab Aelanitico recessu:	14000 „
s. totius Arabiae ad rubrum mare longitudo:	12000 „

Verisimile est Polybium, qua ratione hos Eratosthenis numeros in suis ipsis libris repetivit, eadem si non omnes, at plurimas recepisse earum mensurarum, quas de Asia apud Eratosthenem positas invenit. Quas omnes iam enumerare longum est. Nam satis est perspexisse, et quo tandem modo Polybius ipse men-

suras agere soleret, et quibusnam fontibus in iis intervallis definiendis usus esset, quae non suis ipsius itineribus cognoverat. Quae singula cum ad Eratosthenem magis quam ad Polybium referenda sint, iam tractare nolo.

Restant denique  $\pi$  et  $\rho$  et  $\sigma$ , de quibus ea repetere omitto, quae iam initio huius universae de stadiis quaestionis exposui;  $\sigma$  vero a Polybio contra Eratosthenis sententiam positum est, cuius mensuram (900 st.) plane falsam esse contendit. Est autem hoc loco manifestum, quibus fontibus usus interdum Eratosthenis numeros emendare ausus sit. Nam ab Epidamno ad Thessalonicam  $\acute{\upsilon}\pi\epsilon\rho$  2000 st. ( $\sigma$ ) esse, Romanorum mensuris compertam habuit, cum inter has urbes in via Egnatia 267 milia passuum ( $\pi = 2225$  st.) inveniret.

### § 6.

Ultimus locus de iis numeris erat, qui ad latitudinem orbis terrarum pertinent, sive quos a meridie ad septentriones Polybius emensus est.

$\alpha$ .	A Lycia	ad Alexandriam:	4000 st.	} Str. 25.
$\beta$ .	„ Ithaca	„ Corcyram:	$\acute{\upsilon}\pi\epsilon\rho$ 900 „	} Str. 106.
$\gamma$ .	„ Peloponneso	„ Leucadem:	700 „	} Str. 105.
$\delta$ .	„ Leucade	„ Corcyram:	700 „	
$\epsilon$ .	„ Corcyra	„ Ceraunios montes:	700 „	
$\zeta$ .	„ Cer. mont.	„ Adriatici maris sinum:	6150 „	} Str. 105.
$\eta$ .	„ Europa	„ Africam per Sard. mare:	3000 „	
$\theta$ .	„ Europa	„ Africam per Narb. sinum:	2000 „	} Str. 105.
$\iota$ .	„ Malea	„ Istrum flumen:	$\pi\epsilon\rho$ 10000 „	} Str. 389.
$\kappa$ .	„ Italia	„ Oceanum septentrionalem:	1150 M. p. (9200 st.)	} Plin. IV, 121.

Primum  $\alpha$  Polybius certe ex Eratosthenis libris sumpsit, qui nautarum narrationes certis gnomonis observationibus ita emendavit, ut pro 5000 vel 4000 st. in hoc intervallum 3750 st. colligeret (Str. p. 125 sq. Pl. V, 132). Quem numerum Strabonem ex Polybii sententia non accurate tradidisse puto, cum alibi Eratostheni quoque pro 3750 st. numerum 4000 st. tribuerit (p. 86). — Deinde  $\beta$  contra Eratosthenis auctoritatem positum est, qui ab Ithaca ad Corcyram 3000 st. esse censuit (Str. 106). Elucet autem, Polybium hic  $\acute{\alpha}\nu\theta\omega\pi\lambda\alpha\nu$  Eratostheni

opponere, qua saepissime magna verborum copia gloriatus est (velut XII, 27 sqq.). — Sequuntur γ, δ, ε, ζ, quas mensuras Strabo his verbis prodidit (p. 105): *εἰς μὲν Λευκάδα ἐκ Πελοποννήσου ἑπτακοσίους, ἐντεῦθεν δὲ τοὺς ἴσους εἰς Κόρκυραν, καὶ πάλιν ἐντεῦθεν εἰς τὰ Κεραύνια τοὺς ἴσους, καὶ ἐν δεξιᾷ εἰς τὴν Ἰαπυρίαν, ἀπὸ δὲ τῶν Κεραυνίων τὴν Ἰλλυρικὴν παραλίαν σταδίων ἑξακισχιλίων ἑκατὸν πενήκοντα* (cf. p. 285. Anonym. apud Muell. geogr. min. II, 508). Ac probo Magdeburgii sententiam (p. 62), qui verba quae sunt *καὶ ἐν δεξιᾷ εἰς τὴν Ἰαπυρίαν, ἀπὸ δὲ τῶν κ.τ.λ.* ita mutari vult, ut scribatur: *καὶ ἐν δεξιᾷ εἰς τὴν Ἰαπυθίαν ἀπὸ τῶν κ.τ.λ.* (cf. Str. p. 281). — Porro η et θ numeros Polybius in longa illa contra Dicaearchum expositione posuit, quam supra explanavimus. Sunt quidem nimis exigui multoque minores quam quos ceteri geographi de iisdem intervallis comprobaverunt (Str. 122. Anonym. apud Muell. min. geogr. II, 508). Sed concinunt cum ea opinione, quam de Hispaniae Italiaeque situ Polybius habuit, quas in Gallia per angulum multo obtusiolem cohaerere arbitratus est, quam re vera cohaerent (Pol. III, 37, 10. cf. Str. lib. III. Mela II, 6). — Postremo ι a Strabone, κ a Plinio vituperatur, quorum illud Strabonis testimonio non geographicam mensuram significat, sed viam, qua quidam dux Romanorum fortuito profectus est; hoc autem Plinii coniectura ita definitum est, ut Polybius inter Oceanum et Italiam lineam illam ab Alpibus per Lugdanum ad portum Morinorum Britannicum duceret (cf. Muelenhoff, Alterthumskunde I, 354). Quae a nobis nec defendi nec repudiari possunt.

## § 7.

Desiderantur iam ii numeri, qui ad Pontum Maeotidem que pertinent. Hos nunc separatim tractabo, cum in ceteris numeris locum non habuerint. Atque primum quidem eos enumerabo, quos in Polybii reliquiis inveni.

α. Ponti Euxini περίμετρος:	ἑγγιστα 22000 st.	} Pol. IV, 39, 1.
β. Maeotidis paludis περιγραφή:	8000 „	
γ. Latitudo Bospori Cimmerici:	30 „	} Pol. IV, 39, 3.
δ. Longitudo Bospori Cimmerici:	60 „	

ε. Longitudo Bospori Thracici:	120 st. }	Pol. IV, 39, 4.
	{ 14 „ }	Pol. IV, 39, 5.
ζ. Latitudo Bospori Thracici:	{ 5 „ }	Pol. IV, 43, 2.
	{ 12 „ }	Pol. IV, 39, 6.
η. Intervallum inter Bosporos: D. M. p. (= 4000 st.)		Plin. IV, 77.
θ. Latitudo Hellespontii:	2 st. }	Pol. XVI, 29, 9.

Redeamus igitur ad tertium illud Agathemeri caput, cuius paragraphos 8. 12. 14. ex Artemidori libris haustas esse diximus; nonam autem omittamus, quippe qua stadiorum numeri non tradantur; decima tertia deinde unde petita sit, iam quaerere non opus est, cum Caspii maris mensuram contineat, quam neque ad illos numeros (α sqq.) pertinere neque omnino ex ulius geographi sententia alibi memoriae prodi existimo. Relinquantur decima et undecima, in quibus hos numeros legimus.

§ 10: A. Europae totius parapulus a Tanaidis ostio ad Herc. col.:	69709 st.
B. Africae totius parapulus a Tingi urbe ad Canopicum ostium:	29252 „
C. Asiae totius parapulus a Tanaidis ostio ad Canopum:	40111 „
D. Itaque tota interni maris littorum longitudo:	139072 „
E. Cuius ea pars, quae Maeotidis periplum comprehendit:	9000 „
F. Cimmerici Bospori ostium (sc. eius latitudo):	78 „
§ 11: G. Euxini Ponti universus ambitus:	23083 „
H. Thracici Bospori angustiarum latitudo (ad Darii pontem):	6 „

Est igitur quaerendum, unde Agathemerus has mensuras con-gesserit. Atque Muellerus quidem (geogr. min. II, 474) dixit, cum Marciani numeri (Peripl. Maris exteri I, 5) prope ab Agathemeri absint, utramque A, B, C, D numeros ex eodem fonte collegisse videri; et hunc quidem fontem fortasse Protagorae libros esse censuit, ceteri quo sint referendi diiudicare omisit. — Mihi vero in hac re disceptanda ab Eratosthenis de Ponti ambitu sententia exordium facere liceat. Scripsit enim Amm. Marc. (XXII, 8, 10) haec: *'Omnis autem eius [sc. Ponti] velut insularis circuitus littorea navigatio viginti tribus dimensa milibus stadiorum, ut Eratosthenes affirmat, et Hecataeus etc.'* Quibus de verbis Gardthausenius (Die geogr. Quellen des Am-

mian p. 84 sqq.) egit, qui recte mihi exposuisse videtur, non Hecataeum, sed Eratosthenem primum ea docuisse, quae ab Ammiano de Ponti mensura traderentur; sed quae deinceps adiecit, plane perversa sunt. Strabonis enim numerum aliquem postquam commemoravit (p. 125: ἡ δὲ περίμετρος τοῦ σύμπαντος πελάγους ἐστὶ δις μυριάων πον καὶ πεντακισχιλίων σταδίων κτλ.), hunc scriptorem veram Eratosthenis mensuram prodere, Ammiani vero numerum ex eo Strabonis codice sumptum esse contendit, in quo longo temporis spatio interiecto littera *ε* in *γ* depravata fuisset. Concluserit igitur, Eratosthenem non 23000 st., sed 25000 st. Ponti ambitum definivisse. — At enim Strabo non dixit, se suum numerum ab Eratosthene recepisse, quod quidem infitiandum erit, cum huic ab Ammiano disertis verbis minorem numerum tribui videamus, quam quem Strabo enuntiavit. Consentit Plinius, qui apud Eratosthenem haec invenit:

a. Asiae longitudo ab ore Ponti ad os Maeotis:  $\overline{\text{XV}}$ . XLV M. p. (Plin. V, 47).

b. Ab orē Ponti ad Maeotim quidam\*:  $\overline{\text{XIV}}$ . XXXVIII M. p., Erat. autem C minus (Plin. VI, 3).

\* Hinc elucet, fortasse alio quoque Plinii loco hunc numerum (b) restituendum esse. Nam his in verbis: *'simili modo de Europae latere mensuram alii  $\overline{\text{XIII}}$ . LXXVIII M. D. determinaverē'* (IV, 77)  $\overline{\text{XIII}}$ . XXXVIII pro  $\overline{\text{XIII}}$ . LXXVIII scribere malim.

Complent autem haec si adduntur non 25000 st., sed 23064 st. ( $\overline{\text{XXVIII}}$ . LXXXIII M. p.). Ergo Eratosthenes procul dubio Ponti periplum non eo numero definivit, quem Strabo, sed eo, quem Ammianus et Plinius consentientes memoriae prodiderunt (23000 st. et paullo plus). Iam vero apparebit, Agathemerum rursus eandem mensuram (G) habere, quam ad Eratosthenem a scriptoribus revocatam esse legimus. Qua de re idem dicendum est, quod iam supra de simili scriptorum consensu explicavimus, Agathemerum sua ab Artemidoro petivisse, Artemidori vero numeros ad Eratosthenem redire. Itaque Muellenhoffio assentior (Hermes IX, p. 189), qui Artemidorum in Ponti periplo emetiendo Eratosthenem secutum esse putavit. Ac ne Plinii quidem codices hanc opinionem labefactare pos-

sunt, qui quidem (IV, 77) Artemidoro alium numerum (XXVIII. XVIII M. p. = 23852 st.) atque Eratostheni adiudicant. Sed hunc mutare eo minus cunctandum esse existimo, quo facilius ac saepius singulae litterae ibi confundi ac corrumpi solent, ubi multae tam frequenter librariorum manibus transscribendae erant, quam illo Plinii loco. Itaque XXVIII. LXXXV (= 23080 st.) pro XXVIII. XVIII scribere malim, quae notae ita depravatae sunt, ut repetitis quibusdam primi numeri litteris cetera deinceps signa (LXXXV) omitterentur.

Iam dubitari non potest, quin Agathemerus ex quibus libris Ponti mensuram sumpsit, ex iisdem Maeotidis receperit, quod idem ad Artemidorum quoque pertinere manifestum est. Itaque Agathemerus ut undecimam paragraphum, ita decimam ex Artemidori libris hausit, qui quidem suam ipsius et Maeotidis (E = 9000 st.) et Ponti (G = 23000 st. et paullo plus) mensuram apud Eratosthenem invenit, id quod de ceteris eiusdem paragraphi numeris (A, B, C, D) contendere non audeo. Ad Protagoram igitur fortasse Marciani numeros revocandos esse Muellero assentior, sed Agathemeri mensuras ad Artemidorum redire mihi persuasum est.

At hac in re id unum obstare videtur, quod Plinii codices quattuor locis alios quosdam numeros tradunt, quos de fisdem intervallis Artemidorus posuisse dicitur, ad quae Agathemeri mensurae pertinent.

- AA. Plin. IV, 121: Europae longitudo ab Herc. columnis ad Tanaidis ostium sunt LXXXII. XIII M. p. (= 65712 st.).  
 BB. Plin. V, 40: Africae longitudo a Tingi ad Canopicum ostium sunt Isidori sententia XXXV. XCVIII M. p., Artemidori XL minus (= 28472 st.).  
 CC. Plin. V, 47: Asiae longitudo a Tanaide ad Canopicum ostium sunt LXIII. LXXV M. p. (= 51000 st.).  
 DD. Plin. VI, 207: Universus circuitus per sinus dictos ab eodem exordio (sc. a Gaditano freto) colligit Agrippa ad Maeotim lacum CLV. III M. p., Artemidorus adiecit DCCLVI M. p., idem cum Maeotide CLXXIII. XC M. p. (= 139120 st.) esse tradidit.

Hi numeri quamvis diversi ab iis esse videantur, quos Agathemerum ex Artemidori libris contulisse dixi, tamen in illa sen-

tentia perseverandum est. Nam illis locis codicibus fidem haberi posse nego, cum numeri ne inter se quidem concinant, nedum eorum auctoritate id repudiatum ac victum iri arbitrer, quod aliis iam argumentis a me probatum est. Etenim ut Ianum editorem aut indiligentem aut dementem omittam, qui ultimo loco (DD)  $\bar{C}$ . LVIII pro  $\bar{CLV}$ . IIII scripsit, quasi Artemidorus Maeotidis periplum 6575 milibus p. (= 17390 — 756 — 10059 M. p. = 52600 st.) taxaverit, tamen restant, quae suspicionem moveant. Nam cum AA, BB, CC coacervata non 17390, sed 18148 M. p. efficiant, aut hi tres numeri aut solum DD mutari debet. Quorum hoc nego, illud contendo, quia numeris quos ultimo loco (DD) legimus (qui est 17390 — 756 — 15504 M. p. = 1130 M. p. = paulo plus 9000 st.) ea Maeotidis mensura definitur, quam permulti habent, quamque Eratostheni quoque et Artemidoro tribuimus. Accedit quod inter tres illos numeros (65712, 28472, 51000) certe tertius scrupulum nobis incit. Per hunc enim unum, ceteros cum non mutaverit, Artemidorus veram Asiae mensuram paullo aut auxisse aut minuisse videtur, ut facilius memoriae mandari posset. Denique quartus Agathemeri numerus (D = 139072 st.) ab eo, quem Plinius ultimo loco Artemidoro adiudicavit (DD =  $\bar{CLXXIII}$ . XC M. p. = 139120 st.), tantulo distat, ut et ipsum ab Artemidoro petitum esse appareat. Ob has igitur causas Plinii numeri AA, BB, CC ita mutandi sunt, ut Agathemeri numeros inducamus. Qua in re tam levia atque exigua corriguntur, ut iam inde, si aliae rationes non praesto essent, intellegi posset, sententiam meam a veritate non abscedere. Nam:

Pro hisce numeris:	hosce scribam:
AA. $\bar{LXXXII}$ . XIII (cod. A: $\bar{LXXXVII}$ . XIII.)	A <sup>a</sup> . $\bar{LXXXVII}$ . XIII (= 69712 st.)
BB. $\bar{XXXV}$ . XCVIII.	B <sup>a</sup> . $\bar{XXXVI}$ . XCVII (min. XL = 29256 st.)
CC. $\bar{LXIII}$ . LXXXV.	C <sup>a</sup> . $\bar{L}$ . XIII. M. D (= 40108 st.)

Sic omnia cohaerere hisce rationibus melius quam verbis demonstrabitur:

$A + B + C = 17884\frac{1}{2}$  M. p. (cf. sub DD: Plinii numerum paullo auctum: CLXXIII. XG).

CLV. III (DD) + DCCLVI (DD) = 16260 M. p.

$17884\frac{1}{2} - 16260 = 1125$  M. p. = 9000 st. (Maeotidis periplus: cf. E).

Iam ut omnia, quae de toto Agathameri tertio capite dixi, comprehendam, illum numeros ab Artemidoro petivisse, hunc vero prope in omnibus Eratosthenem secutum esse vidimus.

Redeamus tandem ad Polybium, cuius numeros cum Eratosthenis conferre liceat:

Polybii hi sunt;	Eratosthenis vero:
α. ἔγγιστα 22000.	G. 23064 vel 23083.
β. 8000.	E. 9000.
γ. 30.	F. 78.
ζ. 5.	H. 6.

Sed Polybius cur omnes Eratosthenis numeros paullo minuerit, equidem causam afferre non possum. De  $\Phi$  (2 st.) denique Ukerto assentior, qui Hellesponti latitudinem in Polybii manuscriptis librarium culpa depravatam esse censuit, cum ceteri scriptores omnes consentientes maiorem quendam numerum ponant (7 st.: Str. 124. Plin. IV, 57). Haec de Ponto et Maeotide.

### § 8.

Ad finem igitur totius de mensuris quaestionis perveni. Atque hic iam breviter complectar, quid de Polybii stadiorum numeris dicendum esse comprobaverim: Tria ergo sunt mensurarum genera, quorum primum ad Europae regiones pertinet, alterum ad Asiam atque Africam, tertium ad eorum marium spatia, quae a Tanaidis ostio ad Hellesponti angustias Asiam ab Europae litore disiungunt. In primo numerorum genere Polybius plerumque suis ipsius itineribus nisis ac multas Eratosthenis mensuras emendare conatus est. Quare Strabo cum de Eratosthenis occidentalium septentrionaliumque terrae partium incoitia iudicium faceret (Str. 104, cf. 47) ex Polybii sententia dixisse videtur, velut diserte traditum est (Str. 107), Polybium contendisse, Eratosthenem ἀγνοεῖν τὰ Ἰβηρικά. Erant deinde in his regionibus viae a Romanis munitae, quarum mensuris Polybius primus omnium Graecorum usus est. De altero



vero numerorum genere plane aliter diiudicandum est. Nam constat, Polybium hic Eratosthenis mensuras paene omnes comprobasse. Itaque eadem ratione atque Artemidorus arbitratus est, debere se in Asiae spatiis emetiendis Eratosthenem sequi (Str. 663), quod idem in Africae regionibus fecisse videtur. In tertii denique generis mensuris Eratosthenis numeros ita recepit, ut omnes paullo minueret. Quod cur fecerit, equidem pro certo affirmare non possum.

Iam vero quaenam Polybii in mensuris agendis ratio fuerit, tota mea expositione non satis perspectum iri puto, nisi pauca et de itineribus et de ceteris fontibus, ex quibus geographicas res hausit, adiecerim.

Itinera primum permulta Polybini et ad ipsa studia expedienda et ad alia vel imperatoria vel publica negotia conficienda suscepit, quare statuae, quam oives ei Megalopoli posuerant, carmen illud subscriptum erat, quo hac maxime laude celebratus est, *ὡς ἐπὶ γῆν καὶ θάλατταν πᾶσαν πλανηθείη* (Paus. VIII, 30, 8). Et profecto saepius magna verborum copia exposuit, ut *ἀντοπάθειαν* ab historicis, sic a geographis *ἀντοψίαν* sive *ὄρασι* omni *ἀποῆ* praeferi debere (XXI, 15, 8. XII, 27 sqq. 25 d—25 e). In his igitur itineribus multa spatia aut ipse oculorum iudicio emensus est, aut numeros ex certis viarum publicarum mensuris collegit. Ex quibus eos numeros, qui sunt maiore pondere, iam tractavi; minores autem, qui ad exigua tantum intervalla pertinent, iam enumerationi singularum quas vidit terrarum ideo adiciam, quod inde apparebit, plures eum de iis regionibus posuisse, quas ipse perscrutatus est, quam de iis, quas tantummodo ex aliorum libris cognovit. Est igitur Polybini profectus:

I. Per Peloponnesi urbes. Megalopoli enim cum nobilissimo loco natus esset, in Achaeorum principum numero si non omnium at certe plerorumque vel populi contionum vel senatus consultorum particeps fuisse videtur. Quae quandoquidem tum in hac tum in illa urbe fieri solebant (velut Aegii IV, 26, 7. Corinthi IV, 25. XXXVIII, 4, 2. XXIX, 8, 8. XXXIII, 15, 2. Sicyone XXV, 1, 5. Megalopoli XXIV, 12, 12), iam inde probabile est, eum totam Peloponnesum vidisse. Quod si

cui minus persuadebitur, hic memoria teneat, Polybium anno 146 a. Chr. n. Peloponnesi urbes constituere a Romanis iussum esse (XL, 10). Quamobrem insignem Sellasiae (lib. III) vel Spartae (lib. V) vel Mantineae (lib. IX et XI) descriptionem non ad Arati commentarios, sed ad ipsius Polybii *ἀντοψίαν* redire credo. Ita factum est, ut satis multas mensuras in exiguis Polybii reliquiis de Peloponneso positas inveniamus:

α. Peloponnesi periplus μή κατακολπίζοντι	4000 st.)	} Str. 335.
Artemidorus autem	4400 ,,	
κατακολπίζοντι δὲ πλ. ἢ	5600 ,,	
β. Aegira urbs a maris ora	ὥς 7 ,,	} Pol. IV, 57, 5.
γ. Alpheus flumen prope fontem sub terra fluit	ἐπι 10 ,,	} Pol. XVI,
inde usque ad Lycoam fluit	ἐπι 200 ,,	} 17, 6 sq.
δ. ab ipsa Mantinea τὸ Ποσειδῶνος ἱερὸν abest	7 ,,	} Pol. IX, 8, 11.
ε. Apelaurum a Stymphalo	περὶ 10 ,,	} Pol. IV, 69, 1.
ζ. Πρόρβασις collis, in quo Aliphera sita est	πλ. ἢ 10 ,,	} Pol. IV, 78, 3.
η. Ab Amyclis ad Spartam	ὥς 20 ,,	} Pol. V, 19, 2.
θ. a Gythio ad Spartam	περὶ 30 ,,	} Pol. V, 19, 6.

II. Ceteras deinde Graeciae partes Polybium vidisse compluribusque itineribus cognovisse, etiamsi testimoniis destituti essemus, iam ex tota eius vita concluderemus. Ad quam eandem sententiam is quoque perveniet, qui Aetoliae (lib. V) descriptionem accuratissimam legerit, qua saepius etiam portas aliasque singularum urbium partes commemoratas descriptasque invenerit. Accedit quod itinera Polybii per Graeciam facta diserte traduntur, velut legatus cum militum exercitu in Thessaliam tunc missus esse fertur, cum Q. Marcius Philippus Perrhaebiam occupaverat (XXVIII, 10 sq.). Itaque Graeciae quoque spatia stadiorum mensuris illustrare studuit:

α. Ambracici sinus τὸ στόμα λείπει τῶν	5 st.)	} Pol. IV, 63, 5.
τὸ δὲ πλάτος ἐν τῇ μεσογείᾳ	ἐφ' 100 ,,	
τὸ δὲ μῆκος inde a maris	fluctibus	
	περὶ 300 ,,	
β. Argos Amphilocheicum ab Ambracia abest	180 ,,	} Pol. XXII,
		} 11, 12.
γ. a Larissa ad Thebas Phthiotides	300 ,,	} Pol. V, 99, 3.
δ. a Metapa ad Thermum Aetolicum	σχεδὸν 60 ,,	} Pol. V, 7, 8.
ε. a Naupacto ad τὰ κοῦλα ad litus sita	μάλιστα 20 ,,	} Pol. V, 108, 4.

III. Per Italiam quoque migravit. Fabio enim ac Scipio Schmidt, de Polybii geographia.

pione auctoribus ei Romae manere concessum est, cum inter mille illos nobiles Achaeorum obsides a Romanis ex Peloponneso abduceretur (XXXII, 9, 5). Inde Scipionem saepissime comitatus, cum plurimas Italiae partes adiret, tum Alpes Locros Lacinium alias regiones conspexit. Nam Alpes quidem magno cum studio perscrutatus est, ut fabulas a multis scriptoribus de Hannibalis expeditione fictas redarguere ac veram de his montibus opinionem iis comparare posset, qui historias suas legerent (III, 48, 12). Ad Locros vero Epizephyrios, quibuscum quodam vinculo coniunctus erat, saepius se a Graecia profectum esse ac multa iis commoda praebuisse narravit (XII, 5, 1 sq.). Apud Brettios deinde inscriptionem illam vidit, quam Hannibal in Lacinio promontorio reliquerat (III, 38, 18). Certe alia quoque Italiae loca exploravit, velut Trasimenum lacum et Arni paludes, quas quidem regiones accuratissime descripsit (lib. III). Hinc igitur mensuras illas Romanorum passibus definitas collegit, hinc singulorum locorum distantias magnitudinesque cognovit.

a. Alpium lacus sunt Benacus, cuius longitudo	500 st.	} Str. 309.
	latitudo 30 "	
Larius, cuius longitudo	400 "	
	latitudo $\epsilon\lambda. \eta'$ 30 "	
Verbanus, cuius longitudo	$\epsilon\gamma\gamma\upsilon\varsigma$ 300 "	
	latitudo 30 "	
β. Padus per Volanum ostium est navium capax		} Pol. II, 16, 10.
	$\sigma\upsilon\epsilon\delta\delta\upsilon\nu \epsilon\tau\iota$ 2000 "	
γ. Etruriae longitudo ad oram naviganti	1480 "	} Str. 222.
δ. A Geronio ad Luceriam	200 "	} Pol. III, 100, 3.

IV. Siciliam insulam si non saepius at certe tum Polybius intravit, cum Scipionem amicum sequens in Africam transiret. Tunc Siculi freti latitudinem aut oculis aut navis itinere dimensus est, tunc Lilybaeum Heireten Erycem alia loca conspexisse videtur, quibus primo bello Punico acerrima proelia commissa erant. Itaque ut exempla afferam accuratissimam Leontinorum urbis (VII, 6, 1 sqq.) et Syracusarum (VIII, 5—9. 37) imaginem adumbravit; sed stadiorum numeri nimis pauci in eius reliquiis restant.

- α. Freti Siculi latitudo ab Italia ad Peloriadem ὡς 12 st. } Pol. I, 42, 5.  
 β. Periplus summi in Heirote monte aequoris  
     οὐ λείπει τῶν 100 ,, } Pol. I, 56, 4.  
 γ. Agrigentum oppidum a maris ora abest 18 ,, } Pol. IX, 27, 2.

V. In Gallia et Hispania, item in Africa et in Atlantico mari multa se pericula subiisse Polybius dixit, ut Graecos de occidentalibus orbis terrarum partibus certiores faceret (III, 59, 7 sq.). Et vidit sane Carthaginem novam (ἀυτόπται γεγονότες: X, 11, 4), vidit complures Galliae urbes, ubi cum Scipione mercatorum narrationibus explorare studebat, utrum Pythaeae de Britannia ac Thule narrationes ad veritatem accederent an plane falsae essent (Str. 190). Itaque satis multae harum regionum mensurae Polybii ad nostram memoriam pervernerunt.

- α. Gaditani freti latitudo 60 st. } Pol. XVI, 29, 9.  
 β. Tagi fluminis [Str.: recta] longitudo 8000 ,, } Str. 107.  
 γ. Baetis Anatisque parallelorum annium distantia ὄσον 900 ,, } Str. 148.  
 δ. Gadium urbis mensurae:  
     ab ostio freti abest 25 M. p. (= 200 st.)  
     longitudo 12 M. p. (= 96 st.)  
     latitudo 3 M. p. (= 24 st.) } Plin. IV, 36.  
     a continete proxima parte minus 700 pass. (= 5½ st.)  
     a continete reliqua parte plus 7 M. p. (= 56 st.)  
 ε. Saguntum a mari abest ὡς 7 st. } Pol. III, 17, 2.  
 ζ. Ab ipso Sagunto τὸ τῆς Ἀφροδίτης ἰσθμῶν ὡς 40 ,, } Pol. III, 97, 6.  
 η. Carthaginis novae mensurae:  
     sinus βάθος ὡς 20 ,, } Pol. X, 10, 1.  
     sinus πλάτος ἐν ταῖς ἀρχαῖς ὡς 10 ,, }  
     isthmi latitudo 2 ,, } Pol. X, 10, 6.  
     urbis περιβολος pristinus οὐ πλ. ἤ 20 ,, }  
     urbis περιβολος Polybii temp. ἔλ. ἤ 20 ,, } Pol. X, 11, 4.  
     metallorum ab urbe distantia ὄσον 20 ,, } Str. 147.  
     metallorum κύκλος 400 ,, }

VI. Africam quoque et Atlanticum oceanum ipsam Polybium inter occidentales terrae partes a se exploratas nominasse (III, 59, 7 sq.) iam commemoravi. Deinde *‘Scipione Aemiliano res in Africa gerente Polybius ab eo accepta classe scrutandi illius orbis gratia circumvectus prodidit a monte Atlante ad occasum versus etc.’* (Plin. V, 9). Itaque eum Car-

thaginem quoque cognovisse et Plinius (VIII, 45) et Plutarchus (Apopht. p. 200 A. B.) et Amm. Marc. (XXIV, 2, 14 sqq.) tradiderunt; quin etiam cum urbs deleteretur, se interfuisse ipse dixit (Pol. XXXIX, 3, 6. Cf. Arr. Tact. 1. App. Pun. 132). His in itineribus et quae in terra memoranda essent observavit, velut Africam lotum florentem conspexit (*αὐτόπτης γενόμενος*: Ath. 651 D), et complures locorum intervalla stadiorum numeris definivit.

α. Isthmi Carthaginiensis latitudo	ὡς 25 st.	} Pol. I, 73, 5.
β. Carthago a Tuni urbe	ὡς ἄν 120 "	
γ. Cerne insula a terrae ora	8 "	} Cf. XIV, 10, 5.
δ. A monte Atlante ad flumen Anatem	8 "	} Plin. VI, 36.
	480 M. p. (= 3840 st.)	} Plin. V, 9.

VII. In Macedonia et Illyria saepius eum versatum esse putandum est, cum Egnatiae viae et mensuras et singulas partes accurate descripserit (Str. 322). Accedit quod saepius a Graecia in Italiam profectus est. Theopompi denique falsas de Illyria opiniones (*παρακούσματα λαοδογματικά*: Str. 317) ita repudiavit, ut huius *παρακούσασι* suam ipsius *ἀντοψίαν* opponeret. Sed fato accidit, ut de Illyria et Macedonia paucissima tantum ex libris Polybii aetatem tulerint, ac ne una quidem mensura iam restet.

VIII. De Aegypto idem dicendum est, in qua non multas partes perscrutatus esse videtur. Sed Alexandriae versatus est, unde multarum vel civium vel regiae aulae rerum cognitione imbutus rediit. Nam etsi antea *νεώτερος τῆς κατὰ νόμους ἡλικίας* legatus in Aegyptum designatus, cum Ptolemaeus rex subito moreretur, hoc iter non fecerat (XXV, 7, 5 sqq.), tamen provectus aetate illam urbem tam celebrem quam miseram vidit (*γεγονώς ἐν τῇ Ἀλεξανδρείᾳ*: Str. 797; *ὑπὸ τοῦ Εὐεργέτου τοῦ Φύσκωνος ἦκεν εἰς τὴν Ἀλεξανδρείαν ὁ Πολύβιος*: Str. 798).

IX. In Asiam quoque Polybius profectus est. Nam Sardibus cum uxore Galli cuiusdam sermonem habuisse dicitur (*Πολ. φησι διὰ λόγων ἐν Σάρδεσι γενόμενος κ.τ.λ.* Plut. mor. p. 259 A). Porro putandum est, eum Byzantium urbem et Hellespontum et Thracicum Bosporum non solum ex aliorum

testimoniis cognovisse, sed suis ipsius oculis vidisse, tametsi nil de hoc itinere traditum sit. Nam facillime ad Pontum proficisci potuit, cum a Graecia aut Sardes aut Alexandriam transgrederetur. Ac verba, quibus claram illam ac magnam Byzantii Pontique descriptionem exorditur, satis clare scriptorum narrationibus ipsarum regionum aspectum opponunt. Quae verba (IV, 38, 11 sqq.) sunt haec: *ἐπεὶ δὲ παρὰ τοῖς πλείστοις ἀγνοεῖσθαι συνέβαινε τὴν ιδιότητα καὶ τὴν εὐφύϊαν τοῦ τόπου, διὰ τὸ μικρὸν ἔξω κεῖσθαι τῶν ἐπισκοπομένων μερῶν τῆς οἰκουμένης, βουλόμεθα δὲ πάντες εἰδέναι τὰ τοιαῦτα, καὶ μάλιστα μὲν αὐτόπται γίγνεσθαι τῶν — τόπων, εἰ δὲ μὴ δυνατόν, ἐννοίας γε καὶ τύπους ἔχειν ἐν αὐτοῖς ὡς ἔγγιστα τῆς ἀληθείας κ.τ.λ.* Itaque cum Polybius in his verbis iis adversetur, qui regiones tam procul sitas explorare non aut possent aut vellent, pro certo affirmari debet, eum ipsum ad Byzantium ac Ponti oram profectum esse. Porro num alias quoque Asiae regiones viderit (velut fortasse Lyciam et Rhodum: Plin. XXXI, 181; Pol. XVI, 15, 8; atque Sinopem: Pol. IV, 56, 5 sq.), diiudicari non potest. Mensurarum denique, quae adhuc traduntur, primas tres (α, β, γ) ipse fecisse, ceteras vero ab aliis scriptoribus petivisse videtur.

α. Τὸ μέγεθος Iasi urbis in Ionide sitae	10 st.	} Pol. XVI, 12, 2.
β. In Cilicia non invenitur regio quae sit longa	40 „	
	lata 20 „	} Pol. XII, 20, 2.
γ. Seleuciae hippodromus ab ipsa urbe abest	περὶ 5 „	
δ. Zagri montis ἀνάβασις a Media est longa	πρὸς 100 „	} Pol. V, 44, 7.
ε. Labi montis ἀνάβασις a Parthia est longa	περὶ 300 „	
ζ. Atabyrii montis in Palaestina siti πρόσβασις	πλ. ἢ 15 „	} Pol. V, 70, 6.
η. Arcis Persepolitanae περιγραφή	σχεδὸν 7 „	

Multas igitur terras, sed plerasque in occidentalibus orbis terrarum partibus sitas Polybius itineribus intravit ac magnam inde gloriam se adepturum esse speravit. Ac Pythaeae expeditioni fidem abrogavit (III, 38, 1 sq. Str. 104), Eratosthenis autem auctoritati in Asia describenda cessit (Str. 663). Nam ab illo, quem quasi suarum ipsius laudum gravitatem minuere vidit, quoniam hic quoque itinera ad occidentem versus fecisset, eae terrae descriptae erant, quas Polybius nunquam adiit;

huic vero, cuius e libris satis multa didicerat, quemque in rebus plane aliis gloriam petivisse cognoverat, de orientalibus meridianisque regionibus, quarum conspectu ipse caruit, non parvam fidem habuit. Atque omnino ab itinerum gloria magnaque *αὐτοψίας* et *αὐτοπαθείας* laude iniusta illa iudicia profecta sunt, quae de compluribus scriptoribus Polybius fecit.

### § 9.

Iam ceteros fontes brevissime attingam, e quibus Polybius geographica sua congestit.

I. Atque primum quidem exponam, quantum famae et sermonibus debeat. Constat enim, Polybium saepius cum iis collocutum esse, qui rebus proxima aetate gestis interfuerant, velut cum Carthaginiensibus (IX, 25, 2), cum Masinissa (IX, 25, 4), cum Hannibalis militibus (III, 48, 12), cum Chiomara (Plut. mor. p. 259 A), cum Laelio (X, 32). Verisimile igitur est, ut de historia, ita de regionibus procul sitis cotidiano sermone eum certiore factum esse, velut saepius fortasse cum Romanis nobilibus, cum Arato Lycorta Philopoemene et de factis et de terris disseruit (cf. IV, 2, 2: *τοὺς χρόνους — τοὺς μὲν καθ' ἡμᾶς —, τοὺς δὲ κατὰ τοὺς πατέρας ἡμῶν· ἔξ οὗ συμβαίνει τοῖς μὲν αὐτοὺς ἡμᾶς παραγεγονέναι, τὰ δὲ παρὰ τῶν ἑωρακότεων ἀκηκοέναι*). Qua in re cautus ac severus fuisse videtur, cum patri patrisque aequalibus crederet, sed ea pro vero recipere cunctaretur, quae iam ab antiquiorum memoria usque ad suam ipsius aetatem pervenissent (*ὡς ἀκοὴν ἔξ ἀκοῆς γράφειν*: IV, 2, 3). Sed unum tantummodo eiusmodi colloquiorum extat exemplum. In Gallia enim cum Scipione ex mercatoribus Massiliensibus Narbonensibus Corbilonensibus quid de Britannia Thuleque explorata haberent sciscitatus est, ut Pythaeae aut mendacia detegere et redarguere aut nova inventa confirmare et commendare posset.

II. Veterum deinde narrationes saepius Polybius ita commemoravit, ut certa scriptorum nomina non adiceret. Scripserunt quidem multi iam multa de Sardinia, quare acta agere noluit (I, 79, 7); sunt praeterea poëtae qui Pado fluvio Eridani nomen tribuerint (II, 16, 6); Graecorum vero fabulae,

quae de Pado ac Phaëthone divulgatae erant, alibi ob Timaei incitiam ei refutandae esse videntur (II, 16, 13 sqq.); de Venetis quoque tragoediarum poëtae plurima mendacia finxerunt (II, 17, 6); denique ne in Hannibalis quidem itinere describendo desunt, qui deorum voces aliaque miracula in humanam historiam induxerint, quasi non ad erudiendos aliorum animos sua conscribere susciperent, sed terrorem hominibus opponerent atque metum inferrent (III, 47, 6 sqq.). Sed nimis magnam priori aetati incitiam tribuit, cum eos qui 'νῦν' vel 'καθ' ἡμᾶς' vixerunt iis qui 'πρὸ ἡμῶν' vel 'ἐν τῷ προγεγονότι χρόνῳ' erant (III, 38, 1 sqq. 57—59. IV, 40, 11 sq. 42, 7) ita semper obiceret, quasi magnae longarum noctium tenebrae tandem aliquando serena diei luce pulsae essent. Quae nimia iudicii severitas ab eadem causa exorta est, qua motus veritatem a Pythea contaminatam esse putavit. Itaque rarissimo narrationibus τῶν παλαιῶν fidem habuit (IV, 40, 9. Gem. cap. 13), tanquam si ipse solus itinera fecisset, solus sensuum imbecillitate caruisset, solus neque hominum mendaciis neque propriis erroribus ad falsas opiniones pervenisset. Adeoque in itineribus periclitatus esse, tam multa, quae antea obscura atque ignota fuissent, in claram lucem protraxisse sibi visus est, ut Byzantium iam μικρὸν ἔξω κείσθαι τῶν ἐπισκοπούμενων μερῶν τῆς οἰκουμένης (IV, 38, 11) dicere auderet.

III. De scriptorum testimoniis denique, quos nominatim Polybius laudavit, ea iam dixi, quae maiora putanda sunt. Itaque hoc loco nil praeterea addam nisi nomina eorum, quorum geographicas quasdam sententias apud Polybium commemoratas invenimus. Sunt enim haec:

- α. Homerus poëta: IX, 16, 1. XII, 27, 10 sq. Str. 20. 23—25.
- β. Straton physicus: XII, 25, c. (cf. Pol. IV, 39—41 cum Str. 49 sq.).
- γ. Eudoxus Cnidius: Str. 465.
- δ. Pytheas Massiliensis: Str. 104. 190.
- ε. Dicaearchus Messeniensis: Str. 104 in. et fin. 104 sq.
- ζ. Eratosthenes philologus: Str. 24. 25. 104. 106 sq. 107. 108. 663.
- η. Theopompus Chius: XII, 27, 8. 25 f. 5. XVI, 12, 7.
- θ. Ephorus Cumaeus: XII, 27, 7. 25 f. IX, 1, 4. Str. 465.
- ι. Timaeus Tauromeniensis: II, 16, 15. XII, 25, 7 sqq. 8, 1 sqq. 8, 7 sqq. 25 d—28 a. 4 c—4 d. Str. 183.



x. Gulussa Numida: Plin. VIII, 31.

λ. Demosthenes Bithynius: Steph. Byz. s. v. Χαλκεῖα (= Pol. XII, 1).

μ. Zeno Rhodius: XVI, 16—17.

ν. Callisthenes Olynthius: XII, 17.

In his scriptoribus ii desunt, qui ab Alexandri aetate de orientalibus Asiae regionibus et potissimum de India scripserunt, id quod ad hanc fere causam referendum esse puto. Ex illa enim Alexandri Magni expeditione permulti viri exstiterunt, qui novas illas incognitasque terras, quarum India primum locum habuit, magno cum studio explorare et describere susciperent. Atque etiam Eratosthenis temporibus geographi omnia studia ad haec nova mirabilia illustranda converterunt. Primus vero Polybius universam terrae descriptionem ut ita dicam ad eas regiones reduxit, unde Alexandri aetate ad orientem versus accesserat. Nam itineribus suis occidentalium gentium sedes perscrutatus est atque primus Graecorum geographiam cum Romanorum bellis ita conciliare coepit, ut inde ab eius temporibus, quo plus Romani expugnabant, eo plus accuratius describeretur, singulaeque terrae quas in partes a Romanis divisae erant hoc eodem ordine geographorum descriptionibus comprehendere solerent. Qua in re deinceps imprimis Artemidorus, Ephesius, Isidorus Characenus, Strabo Amasæus Polybium secuti sunt.

---

Multa iam relinquuntur, quae de Polybii geographia explanari possint. Nam plura de zonis, de maribus, de singulis terris exponenda sunt, si quis uno libello omnia comprehendere velit. Sed quae quamvis non satis diligenter a Magdeburgio iam conscripta sunt, ea omnia repetere, et longum est et minorem utilitatem affert, quam quod magna quaestione dignetur. Nam singula quibusdam vel ethnographiae vel historiae partibus emolumento esse concedo; sed universam harum omnium rerum expositionem verbis copiosiore quam rebus utiliorem evadere, Magdeburgii dissertatione optime demonstrari contendo.

---

# I N D E X

## CONIECTURARUM ET INTERPRETATIONUM.

Postremo mihi liceat, indicis forma eos veterum scriptorum locos enumerare, ubi aut verba numerorumque signa ipse mutavi aliorumve coniecturas probavi aut sententiam illustravi atque interpretatus sum.

I. Plin.:			
V, 26:	pro CCC.	scribendum est CC.	
V, 40:	" <u>XVI. XXVIII.</u>	" "	<u>XVI. LXXXVIII.</u> } § 5.
VI, 163:	" <u>XIII.</u>	" "	<u>XVII. L.</u>
IV, 77:	" <u>XXVIII. XVIII.</u>	" "	<u>XVIII. LXXXV.</u> } § 7.
IV, 121:	" <u>LXXXII. XIII.</u>	" "	<u>LXXXVII. XIII.</u>
V, 40:	" <u>XXXV. XCVIII.</u>	" "	<u>XXXVI. XCVII.</u> } § 7.
V, 47:	" <u>LXIII. LXXV.</u>	" "	<u>L. XIII. M. D.</u>
V, 40:	" <u>XI.</u>	scribas fortasse	<u>X.</u> } § 5.
VI, 163:	" <u>XI. XXXVII.</u>	" "	<u>XI. XXV.</u>
V, 27:	" <u>CCCXII.</u>	" "	<u>CCXXV.</u> } § 7.
IV, 77:	" <u>XIII. LXXVIII.</u>	" "	<u>XIII. XXXVIII.</u> } § 7.
II. Pol. IX, 15, 8: verba interpretatus sum. } § 1.			
III, 39, 8: quaedam interpolata sunt. } § 2.			
III, 39, 7: nonnulla exciderunt. } § 3.			
IV, 38, 11: verba interpretatus sum. } § 8.			
Strab. p. 105: coniecturam quandam probavi. } § 6.			
Plin. VI, 206: verba interpretatus sum. } § 5.			

## V I T A.

---

Maximilianus, Carolus, Paullus Schmidt natus sum Berolini a. d. XIII. Kal. Iun. a. h. s. LIII. patre Francisco, qui praeceptoris munere in gymnasio Fridericiano Berolinensi fungitur, matre Clara e gente Diewitz, parentibus evangelicis. Primis litterarum elementis a patre institutus a. h. s. LVIII. gymnasium illud, in quo pater magister est, primum Krechii, deinde Kempfii auspiciis a puerilibus studiis usque ad primam classem frequentavi. A. h. s. LXXI. maturitatis testimonium adeptus in universitatem Berolinensem Fridericam Guilelmam migravi ibique in philologorum numeris inscriptus sum. Per septies sex menses interfui lectionibus virorum illustrissimorum Hauptii, Kirchhoffii, Huebneri, Mommsenii, Curtii, Heydemanni, Muelenhoffii, Weberi, Ebelii, Michaelis, Bonitzii, Droysenii, Nitzschii, Duehringii. His viris cum omnibus maximas gratias ago, tum Kirchhoffio, Huebnero, Heydemanno, Bonitzio, Curtio, qui comiter me exercitationum philologicarum, archaeologicarum, philosophicarum participem esse permiserunt.

---

## T H E S E S.


---

1. Polybii illa de Timaeo verba, quae in Peirescianis excerptis (Pol. XII, 25) mutila restant, dissentiens a Bernhardyo (Eratosthenica p. 69) ita suppleo, ut γῆς et οἰκουμένης discriminis mentionem addam.
2. Polybius quaecunque de geographia scripsit historiarum libris inseruit; neque igitur *'Africae periplum'* (Magdeburg, de Polybii geographia p. 4) neque *'βιβλίον ὃ ἐπιγραφὴν ἔχει περὶ τῆς περὶ τὸν ἰσημερινὸν οἰκίσεως'* (Geminus, *είσαγ. εἰς φαιν.* cap. 13) vel *'de zonis et polis mundi'* (Schweighauseri Index Polybianus s. v. Polybius) neque librum *'Ueber die Lage Laconiens'* (Nicolai, Griech. Litt. p. 258) separatim edidit.
3. Polybium Cuneorum sedes non ἐντὸς *'Ἡρακλείων στηλῶν'*, ut codices habent (X, 7, 5), sed ἐκτὸς posuisse Schweighauser recte putavit.
4. Eratosthenem sententiam, quam de zonarum numero concepit, mutasse nego (Muellenhoff, Deutsche Altertumskunde I p. 244 sq.); neque igitur inde de ordine, quo opera (sc. Mercurius carmen et Geographici libri) edita sunt, quicquam concludi potest.
5. Arrianum in Periplo Ponti Euxini (§ 5) non Gesneri verba *'ὄπερ καὶ μόνον οὐχὶ ᾤλεσεν ἡμᾶς'*, quae quidem

C. Mueller quoque recepit, sed codicis illa 'ὅπερ καὶ μόνον ἄνησεν ἡμᾶς', quae Heroher restituit, scripsisse puto.

6. Physiologiam linguae iis, qui philologi et esse et haberi volunt, minus negligendam esse censeo, quam huc usque factum est.
7. Odofredi Muelleri verba quae sunt '*Die Alten, die das Ethische in der Musik unendlich bestimmter zu fassen verstanden, als es in unsrer ins Formlose und Unendliche verschwimmenden Tonkunst möglich ist etc.*' (O. Muelleri opuscula, ed. Calvaryi: I, 160) adeo perversa sunt, ut illum nec veterem nec nostram musicam satis perspexisse ostendant.









Gp 95.266.3

De Polybii geographia :

Widener Library

006542095



3 2044 085 162 725

